




**Prof. Dr. Theodor Mahlmann**  
**D-3554 Cappel / Marburg**  
**Hahnbergstraße 17**  
**Telefon 06421 / 47231**



TM 0394







EXPLICATIO  
CATECHES-  
EOS HEIDEL-  
BERGENSIS

*Authore*

JOHANNES PISCATORE,  
S. Theologiæ Professore.



HERBORNÆ, 1622.





LECTORI AMICO  
M. PHILIPPUS - LUDOVICUS  
Piscator, S. P.

**C**Um patre agrotante jussu ejus chartas  
ipsius perquirerem, ut videret, an quid in  
illis sese offerret, quod in lucem edendum videretur;  
obtulit se inter alia scripta explicatio hæc Catechesis  
Heidelbergensis, quam ante annos septem  
& viginti in Schola Sigenensi publicè dictavit.  
Quam cum putaret studiosis Theologiæ utilem  
lectu futuram, censura collegarum eam subjecit;  
cumq; illi eam approbarent, mandavit mihi ut eam  
typis divulgarem, atq; ita cum eis communicarem.  
Quod ipsius institutum gratum acceptumq; eis  
futurum spero. Scripsi in museo patris 16. Febr.  
Anno 1622.

*ms. 30, Piscator, S. 30 Anno 21*

CATE.





# CATECHESIS RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

## EXPLICATIO.



**C**ATECHESIS] Id est doctrina Christiana per Catechesin tradi solita, Meton. adjuncti. Catechesis a. græcè κατήχησης sive κατήχισμός proprie nominatur institutio, quæ fit viva voce, aures discipuli circumsonante, à verbo

κατήχεῖν, id est, viva voce instituere, ut *Actor. 18. v. 25.* *Rom. 2. v. 18.* Judæus dicitur κατήχέμενος qui instituitur ex lege, *Galat. 6. v. 6.* Communicet a. is qui instituitur in sermone (ὁ κατήχέμενος) ei qui instituit, (τῷ κατήχῶντι.) Hinc apud veteres dicti Catechumeni qui recens fidem Christianam amplexi, in mysteriis plenius instituebantur antequam admitterentur ad cænam Domini.

**R**ELIGIONIS] Religio à religando dicta videtur, eò quod cultores numini religet, i. e. obliget, atq; obstringat, qua de re *Lactant. instit. divin. l. 4. c. 28.* Hac enim, inquit, conditione gignimur, ut generanti





nos Deo iusta & debita obsequia præbeamus, hunc solum noverimus, hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti Deo & religati sumus, unde ipsa religio nomen accepit. Non ut Cicero *l. 2. de nat. Deor.* interpretatus est à relegendo. *Et sub finem capituli:* Melius ergò Lucretius id nomen interpretatus est, qui ait, religionum senodos exolvere. Ad hoc etymon alludere videtur Augustinus, *de doct. Christ. l. 3. cap. 6.* ubi de ceremoniis Veteris Testamenti loquens, ait: Illas opinionem observantium ad unius Dei cultum religasse. Item *c. 7.* ubi ait, Hominem obligare animum colendis rebus, per ceremonias sacras significatis. Græcè nominatur ἰσχυρία *Actor. 26. v. 5.* Hebraicè servitium חַבֹּדָה habodha. *Exod. 12. v. 26.*

## I. QUÆSTIO.

*Quæ est unica tua consolatio in vita & in morte?*

**Q**Uòd animo pariter & corpore *a*, sive vivam, sive moriar *b*, non meus, sed fidelissimi Domini & Servatoris mei Jesu Christi sum proprius *c*, qui precioso sanguine suo, pro omnibus peccatis meis plenissimè satisfaciens *d*, me ab omni potestate diaboli liberavit *e*, meque ita conservat *f*, ut sine voluntate Patris mei cœlestis, ne pilus quidem  
de



C A T E C H. H E I D E L B.

de meo capite possit cadere g, imò verò etiam omnia salutis meæ servare oporteat h. Quocirca me quoque suo Spiritu de vita æterna certum facit i, utque ipsi deinceps vivam, promptum ac paratum reddit k.

a 1. Cor. 6. 19. 20. i. Thes. 5. 10. b Rom. 14. 8. c 1. Cor. 3. 16. 23. d 1. Pet. 1. 19. 1. Joh. 1. 7. e 2. 2. c 1. Joh. 3. 8. Hebr. 2. 14. f Joh. 6. 39. g Matth. 10. 30. Luc. 21. 18. h Rom. 8. 28. i 2. Cor. 1. 22. e 5. 5. Eph. 1. 14. Rom. 8. 16. k Rom. 8. 14. 26.

E X P L I C A T I O.

Quæstione prima continetur libri hujus proœmium, comparatum ad attentionem ostensione fructus atque finis doctrinæ Christianæ, quantum attinet ad hominem in hac vita; qui finis est consolatio ipsius, teste Paulo Rom. 15. v. 4. Summa responsionis continetur hoc pronuntiato: *In omnibus tentationibus hoc me solatur, quod scio Christum esse servatorem meum.* Hoc pronuntiatum declaratur enumeratione factorum Christi, quæ suscepit ac perfecit, aut adhuc facit ad salutem æternam nobis acquirendam. Illa facta omnia revocari possunt ad duos modos, quibus nos Christus servat, videlicet Merito & Efficacia. Ad meritum quod attinet, meritis & nobis Christus à Deo remissionem peccatorum, sanctificationem spiritus, & vitam æternam, quatenus pro peccatis nostris satisfecit iudicio Dei, expians illa sacrificio



mortis suæ, conjunctæ cum sensu iræ Dei adversus nostra peccata, quæ ipse ut sponsor in se susceperat, ut pœnam illorum luendo pro nobis Deo satisfaceret, atq; ita à potestate diaboli & morte æterna, cui propter peccatum subjecti eramus, nos liberaret. Quod verò attinet ad efficaciam, tria hîc commemorantur, quæ Christus in nobis per verbum Dei & Spiritum S. efficit ad salutem æternam nobis necessaria, videlicet, Fides, Perseverantia in fide & Studium sanctè vivendi. E quibus duo priora ordine inverso hîc commemorantur. Porro per fidem facit nos certos de vita æterna, quatenus per fidem nobis imputat justitiam, unde vita æterna dependet. Perseverantia in fide amplificatur hîc primùm à majori, in hunc modum: Christus ita nos conservat, ut ne pilum quidem de capite nostro cadere patiatur, nisi id faciat ad nostram salutem: ergò multò minus excidere à nobis patietur nequam invidiam. Deinde à minori per prolepsin.

Obiectio: At fidem multæ & variæ tentationes oppugnant, tum corporales tum spirituales. Responsio: At tentationes illæ fidem nostram non solum non possunt expugnare, sed etiam ex efficacia Christi fides nostra per illas confirmatur; atque ita salus nostra promovetur. Studium sanctè vivendi ex fide manat, & ex illa non manare non potest. Nam quicumq; per fidem agnoverunt beneficium redemptionis, illi non possunt non operâ dare, ut gratiam, quoad possibile referant redemptori. Id autem consequuntur si  
illi



illi vivant, id est, vitam suam ad ipsius præscriptum instituant & conforment.

Ceterum, quod Christus noster sit servator probatur his scripturæ locis *Matth. 1. v. 21. Luc. 19. v. 10. Joh. 3. v. 17. Act. 4. v. 12.* Quòd idem sua morte peccata expiavit, *Matth. 26. v. 24. & 26. v. 24. Johan. 1. v. 29. 1. Johan. 1. v. 7. Rom. 3. v. 25. 1. Pet. 1. v. 18. 19. Hebr. 10. v. 10. 14.* Quòd idem sua morte à potestate Diaboli, & morte æterna nos liberaverit *Hebr. 2. v. 14. Galat. 3. v. 13.* Quòd idem sua morte nobis meritis sit sanctificationem Spiritus S. *Gal. 3. v. 13. 14. Rom. 6. v. 3. &c.* Quòd idem sua morte recuperarit nobis vitam æternam, ad *Gal. 3. v. 13. & 14. Johan. 13. v. 14. 15.* Quòd idem in nobis efficiat fidem *Johan. 1. v. 33. Matth. 11. v. 27. Johan. 5. v. 5.* Quòd eodem spiritu efficiat in nobis perseverantiam in fide, *Johan. 10. v. 18.* Denique quòd eodem spiritu efficiat in nobis studium sanctè vivendi *Rom. 8. v. 19. 1. Cor. 1. v. 30.*

## II. QUÆSTIO.

*Quot sunt tibi scitu necessaria, ut ista consolatione fruens, beatè vivas & moriaris?*

Tria *a:* Primum, quanta sit peccati mei & miseriæ meæ magnitudo *b.* Secundum, quo pacto ab omni peccato & miseria liberer *c.* Tertium, quam gratiam Deo pro ea liberatione debeam *d.*



a *Luc. 24. 47. 1. Cor. 6. 11. Tit. 3. 3. 4. 5. 6. 7. 8. b Job. 9. 41. Rom. 3. 10. c Job. 17. 3. d Eph. 5. 10 1. Pet. 2. 9. 10. 21. 12. Rom. 6. 11. 12. 13. Matth. 5. 16. 2. Tim. 2. 15.*

## E X P L I C A T I O .

Prima quaestio fuit de doctrinae Christianae fine: haec est de mediis ad finem illum consequendum necessariis, hoc est, de doctrinae Christianae summa. Itaque responsio continet argumentum totius Catecheseos, idque tribus partibus constans, ut patet. Est autem partium illarum ordo methodicus. Etenim miseria nostra prior est quam nostri liberatio: & rursus liberatio nostri prior est quam nostra pro liberatione gratitudo. Quippe poteramus esse miseri, etsi non liberaremur. At liberari non potuissemus, nisi miseri fuissemus. Item, liberari poteramus etsi ingrati essemus. At grati pro liberatione esse non possemus, nisi liberati essemus. Sic in medicina morbus praecedit curationem, curatio mercedem seu honorarium quod Medico datur. Hic ordo confirmatur dicto Christi *Luc. ult. v. 47.* Item exemplo Pauli *Tit. 3. v. 3. 4. 5. 6. 7. 8.* Denique exemplo clarissimo epistolae ad Romanos.

P A R S





## P A R S I.

## D E H O M I N I S

## M I S E R I A.

## E X P L I C A T I O.

**M**ISERIA hominis duplex est: peccatum, & pœna peccati: quorum illud majus malum est: tum quia alterius causa, tum quia offendit Deum Opt. Max. cum pœna offendant nos malas & infirmas creaturas.

## III. IV. V. QUÆSTIO.

*Unde tuam miseriam cognoscis?*

Ex lege Dei a.

a Rom. 3. 20.

*Quid à nobis postulat Lex Dei?*

Id docet nos Christus summatim, Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota cogitatione tua, & b ex omnibus viribus tuis. Istud est primum & maximum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Ab istis duob. mandatis tota Lex & Propheta pendet.*

b Luc. 10. 27.

A 5



*Num hæc omnia perfectè servare potes?*

Minimè c: naturâ enim propensus sum ad odium Dei & proximi d:

c *Roman. 3. 10. 23. 1. Johan. 1. 8. d Rom. 8. 7. Eph. 2. 3. Tit. 3. 3.*

E X P L I C A T I O.

His tribus quæstionibus ostenditur singulos homines, solo Christo excepto, esse peccatores. Probatio sumitur ex definitione peccati, quod nihil aliud est, quam *ἀνομία* 1. *Joh. 3. v. 4.* id est, actionis naturæ nostræ à lege Dei discrepantia. Hinc Syllogismus: Quorumcunq; actiones & natura discrepant à lege Dei, ii sunt peccatores, quia peccatum nihil aliud est, quam actionis naturæ nostræ à lege Dei discrepantia. Atqui singulorum hominum actiones & natura à lege Dei discrepant. Ergò singuli homines sunt peccatores. Sententia propositionis continetur quæstione tertia & quarta. Sententia assumptionis continetur quæstione 5. Conclusio significatur quæstione tertia, ubi nomine miseræ per synecd. generis intelligitur peccatum. Itaq; hæc sententia est: Quum certum sit te esse peccatorem, quæro unde ipsum peccatum cognoscis: vel, quod eodem redit: Quo argumento convincuntur singuli homines quod sint peccatores. Cæterùm ex lege Dei cognoscimus peccatum, i. e. nos esse peccatores, per collationem vitæ & naturæ nostræ cum lege, in qua collatione deprehendimus



dimus discrepantiam, videlicet nos ea quæ lex Dei iubet, omisisse, & ab iisdem agendis ab horrere; contra, quæ vetat, fecisse, & eisdem agendis delectari. Porro, peccatum cognosci ex lege testatur Paulus *Roman. 3. v. 20. & c. 7. v. 7.* Cognoscitur autem peccatum ex lege tanquam ex speculo. Sicut enim maculæ faciei cognoscuntur ex intuitu speculi; sic peccata ex consideratione legis. Porro cum ex lege Dei peccatum cognoscatur, traditur hinc summa illius, duobus generalissimis mandatis comprehensa, quorum primum est de diligendo Deo, alterum de proximo. Et illud quidem primum dicitur tum ratione objecti nobilioris, tum ratione ordinis naturæ, quia dilectio proximi ex dilectione Dei nascitur. Maximum vero nominatur illud præceptum, quia generalissimum est, latissimeque patens, quippe complectens non solum præcepta primæ tabulæ, sed etiam secundæ ex consequenti, quatenus scilicet vera dilectio proximi ex dilectione Dei nascitur. Alterum præceptum dicitur priori simile ὁμοιον, id est, etiam generale & latè patens, sed tamen non æquale ἴσον, id est, æquè latè patens, aliàs primum non esset maximum. Cæterum assumptio Syllogismi propositi confirmatur tum experientiâ quotidianâ, tum testimonio propriæ singulorum conscientiæ, tum hisce scripturæ dictis *Gen. 6. v. 5. & c. 8. v. 21. Rom. 3. v. 10. & c.* Ubi allegantur multa testimonia ex Psalmis & Esaia. Porro ex allata peccati definitione emergit ejusdem distinctio, quâ distingui solet in originale & actuale. E quibus



actuale, in genere loquendo, originali prius est, quippe cum ex actuali peccato primo, originale peccatum ortum sit, ex quo deinde cætera actualia peccata velut ex perenni fonte perpetuò scaturiunt & manant. Ubi se jam offert distinctio peccati prima, videl. in primum, & à primo ortum. Primum est quod admiserunt in paradiso primi nostri parentes, transgrediendo mandatum Dei, de non edendo fructu certæ arboris; de quo *Gen. 3.* Ortum peccatum est aut Originale aut Actuale, de quibus vide Aphorismos.

## VI. QUÆSTIO.

*Num ergo Deus hominem ita pravum & per-  
versum condidit?*

Nequaquam *a*: Imò verò bonum & ad imaginem sui condidit eum *b*, hoc est, vera justitia & sanctitate præditū, ut Deum creatorem suum rectè cognosceret, ex animo diligeret, cum eo beatus in æternum viveret, idque ad eum laudandum & celebrandum *c*.

*a Gen. 1. 31. b Gen. 1. 26. & 27. c 2. Cor. 2. 18. Col. 3. 10. Eph. 4. 24.*

## E X P L I C A T I O.

Deinceps agitur de peccati causa procreante sive auctore. Et primùm removetur falsa causa hâc questione, deinde asruitur vera causa. Demonstratur ergò hîc Deum non esse causam sive auctorem peccati,



cati, id quod probatur à contrario in hunc modum: Deus creavit hominem bonum; non ergò malum & peccatorem. Anteced. probatur *Gen. 1. v. 31.* Condidit Deus hominem ad imaginem suã, id est similem sibi, hoc est sapientem & bonum, ut declaratur de sapientia quidem ad *Col. 3. v. 10.* Ubi monet Apostolus Colossenses ut induantur novo homine qui renovatur ad cognitionẽ secundum imaginem ejus, qui creavit eum. De bonitate verò ad *Ephes. 4. v. 24.* ubi Ephesios monet, ut induant novum hominem, qui secundum Deum conditus est in justitia & sanctitate veritatis, id est, verã. Cæterum quod hinc dicitur Deum condidisse hominem ut ipse creatorem suum rectè cognosceret, ex animo diligeret, & cum ipso beatus in æternum viveret, id universaliter intellectum consistere non potest, tum quia repugnat expressis S. Scripturæ dictis, tum quia inde sequitur absurdum. Dicta quidem scripturæ extant de cognitione Dei *Matth. 11. vers. 25.* Ubi Christus celebrat patrem quod mysteria regni Dei absconderit à sapientibus & intelligentibus: *Et cap. 13. v. 11.* ubi Christus ait discipulis, vobis est datum nosse mysteria regni cælorum: illis autem non est datum. Item *2. ad Thes. 3. v. 2.* ubi ait Apostolus, fidem non esse omnium. De beatitudine verò seu vitã æterna *Rom. 9. v. 21. 22. 23.* ubi Apostolus docet Deum hominum alios condidisse ad decus & gloriam; alios verò ad dedecus & interitum. Item *Prov. 16. v. 4.* ubi ait Salomo, Deum fecisse etiam improbum ad diem mali, id est, ad exitium æter-



num. Jam absurdum quod ex pronunciato illo universali sequitur, est hoc; quod sequeretur, Deum illos qui pereunt, servare non posse, quippe cum omnes ad salutem condiderit, ac proinde servare voluerit. Nec potest hic excipi, Deum singulos cum eos conderet, servare voluisse, sed postea de nonnullis sententiam mutasse; nempe post lapsum, ita ut tum demum voluerit nonnullos perdere propter peccatum. Etenim voluntas Dei immutabilis est & æterna. Itaque quos post lapsum voluit perdere, eosdem voluit perdere ante lapsum, atque adeo ab æterno, antequam ipsos conderet. Etsi autem hæc doctrina rationi carnali dura est: tamen non ideò à nobis repudianda more Capernaitarum *Job. 6.* Sed potius cum humili adoratione majestatis divinæ est recipienda, quum sit expressè in verbo Dei tradita. Interim omnes verè pii ex efficacia Spiritus S. quam in se sentiunt, certò statuere possunt ac debent, se in numero eorum esse, quos Deus ad salutem & beatitudinem æternam condidit. Nam quoscunque Deus fide salvificâ & serio studio pietatis donavit, eos quoque ad salutem ab æterno prædestinavit. Quos autem prædestinavit, eos quoque ad salutem condidit: quum decreta ipsius immutabilia sint, quumque illa per certa media (quorum primum creatio) certò exequatur.

## VII. QUÆSTIO.

*Unde igitur existit hæc naturæ humanæ pravitas?*

Ex lapsu & inobedientia primorum parentum



rentum Adami & Evæ *a*: Hinc natura nostra ita est depravata, ut omnes in peccatis concipiamur & nascamur *b*.

*a Gen. 3. Rom. 5. 12. 18. 19. b Psal. 51. 7. Gen. 5. 3.*

## E X P L I C A T I O.

Quænam sit causa procreans peccati, hîc docetur, videl. corruptionis naturæ, quæ est altera pars peccati originalis. Illius igitur causa procreans fuit peccatum primum, & per consequens primi nostri parentes, qui illud admiserunt. Sed unde peccatum illud primum? nimirum ex suasione Diaboli, & consensu primorum parentum, ut percipitur ex illius admissi historia *Gen. 3.* Cæterùm corruptionem naturæ ortam esse ex peccato illo primo, & generi humano propter illud tanquam pœnam, inflictam, patet tum ex primorum parentum fuga, tum ex eorundem excusationibus, quâ apud Deum usi fuere, tum ex verbis Moïsis de procreatione Sethi, *Gen. 5. v. 3;* de quo ait, quòd Adâ ipsum genuerit ad similitudinẽ suam, ad imaginem suam, q. d. non autem ad imaginem Dei, ad quam ipse fuerat conditus, quippe quam (saltem maximâ ex parte) per lapsum seu defectionem à Deo amiserat. Porrò naturam hominis esse corruptã, ita sc. ut omnes filii Adæ, qui naturaliter ex ipso orti sunt, & adhuc oriuntur, concepti sint, & concipiantur in peccato, probatur verbis Davidis quæ extant *Psal. 51. v. 7.* Ubi notandum non rectè hîc numerum singularem in pluralem mutatum esse, ubi dicitur



homines concipi in peccatis, quum in Psalmo dicatur, *En in iniquitate genitus sum, & in peccato concepit me mater mea.* Quem sanè numerum res ipsa postulat, quum sermo sit de peccato unico, videlicet originali. Cæterum ne quis putet posteris Adæ injuriam fieri, quod eis imputatur peccatum Adæ, ita ut propter illud corruptione naturæ plectantur; sciendum, peccatum illud jure naturæ seu hæreditario ad ipsos pertinere, quippe cum peccarint in Adamo, seu in lumbis ejus, ut docet Apostolus *Rom. 5. v. 12. & c. 1. Cor. 15. v. 22.* Et sic Levi decimatus dicitur in lumbis Abrahamæ *Hebr. 7. v. 9.* Quod ut meliùs intelligatur, illustrari potest simili juris feudalis: Acceperat enim Adam primus noster parens à Deo imaginem ipsius tanquam feudum, ut sc. si fideliter dominum suum coleret, propagaret illam in filios suos: si verò perfide ab illo ad hostem ipsius diabolum deficeret, amitteret illam & sibi & posteris suis. Item illustrari potest hoc negotium simili hæreditatis damnosæ, ut cum hæres cogitur persolvere debita defuncti, cujus hæreditatem adiit. Interim tamen tenendum, debitum illud mortis æternæ nobis cum Adamo commune esse quatenus, (ut ostensum est) peccavimus in illo, tanquam pars illius, quippe inclusi lumbis ejus.

## VIII. QUÆSTIO.

*An verò adeò corrupti sumus, ut ad bene agendum prorsus non simus idonei, & ad omne vitium proclives?*

Certe



Certè a: nisi per Spiritum sanctum rege-  
neremur b.

a Johan. 3. 6. Genes. 6. 5. Job. 14. 4. & 15. 14. 16. & 35.  
Jesa. 53. 6. b Johan. 3. 5.

## E X P L I C A T I O.

Indicatur hîc corruptionis naturæ adjunctum quoddam, videlicet magnitudo: quæ declaratur duabus partibus inter se oppositis, videlicet universali ἀδυναμία impotentia ad bonum, & universali προπε-  
τεία καὶ ὀρμηή, id est, proclivitate atque impetu ad ma-  
lum. De impotentia ad bonum intelligendum te-  
stantur hæc scripturæ dicta: 1. Cor. 2. v. 14. Homo ani-  
malis (ψυχικός) non capit ea quæ sunt spiritus Dei.  
Sunt enim ei stultitia. Nec potest ea cognoscere: quia  
spiritualiter dijudicantur. Johan. 1. v. 4. Lux illa in te-  
nebris lucet, sed eam tenebræ non comprehendunt,  
& v. 18. Deum nemo vidit unquam, filius ille unige-  
nitus, qui est in sinu patris, is nobis exposuit, & c. 6.  
v. 44. Nemo potest ad me venire nisi pater traxerit  
eum: & Act. 26. v. 18. Christus ait Paulo se mittere  
ipsum ad gentes, ut aperiat oculos cæcorum, ut con-  
vertantur à tenebris ad lucem. De impotentia ad bo-  
num agendum testantur hæc dicta Jer. 13. v. 23. An  
mutare potest æthiops cutem suam, aut pardus  
maculas suas, etiam vos possetis benè facere, edocti  
malè facerè. Rom. 8. v. 7. Sensus carnis inimicitia est  
adversus Deum. Legi enim Dei non subicitur, nam  
nec potest quidem. De proclivitate ad malum testan-



tur hæc dicta *Gen. 6. v. 5.* Vidit Jehovah augefcere malitiã hominis in terra, & c. & *c. 8. v. 21.* Figmentum cordis hominis malum est à pueritia ipsius. *Job. 15. v. 10.* Quantò magis abominabilis & foetidus est vir imbibens, ut aquam, iniquitatem. *Rom. 7. v. 14.* Ego carnalis sum, venditus sub peccatum, & *v. 23.* Video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & captivum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. Cæterùm ista naturæ nostræ corruptio ampliùs declaratur antithesi causæ corruptentis, quæ est regeneratio per Spiritum S. per quam illa non quidem in univcrsum tollitur in hac vitâ, veruntamen in electis reprimitur atque immittitur in dies magis ac magis, donec tandem in altera vita prorsus aboleatur & pristina integritas restituatur, atque etiam amplificetur. De illa autem regeneratione testat Christus *Job. 3. v. 5.* ubi ait, Nisi quis fuerit genitus ex aquâ & Spiritu, non potest introire in regnum Dei, & Paul. ad *Tit. 3. v. 5.* Servavit nos Deus ex suâ misericordiã per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S. & *Job. epist. 1. c. 3. v. 9.* Quisquis natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, nec potest peccare, eò quod ex Deo natus est. Et rursus Paul. ad *Rom. 8. v. 11.* Si spiritus ejus qui excitavit Jesum à mortuis habitat in vobis, vivificabit etiam mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum in vobis. Usus hujus doctrinæ est in nondum renatis, ut ex agnitione suæ miserix verè humilientur coram Deo, & gratiam



tiam regenerationis ardentibus precibus ab eo petant. In renatis verò, ut in agnitione suæ miseriæ & humilitate proficiant, & pro initio regenerationis gratias Deo agant, & eundem pro illius incremento & complemento seu perfectione orent. Vide epist. Pauli Rom. 7. v. 8.

## IX. QUÆSTIO.

*An non igitur Deus homini injuriam facit, qui ab eo in Lege flagitet, quæ præstare non queat?*

Minimè a: Nam Deus hominem talem condiderat ut ea præstare posset b, verùm homo impulsore Diabolo, sua ipsius contumacia, se & omnem posteritatem divinis illis donis orbavit c.

a Eph. 4. 2. b Luc. 10. 30. c Rom. 5. 12.

## E X P L I C A T I O.

Sequitur objectio; Qui ab aliquo postulat impossibilia, videtur ipsi facere injuriam; Atqui Deus ab homine postulat impossibilia; Deus ergò homini videtur facere injuriam. Respond. Negando propositionem, ut quæ non sit universaliter vera, quippe cum non habeat locum in iis, qui impotentiam illam postulata præstandi suâ ipsorum culpâ contraxerunt; ut si quis ex intemperantia & prodigalitate ad pauper-tatem reductus sit, ita ut non sit solvendo, illi non fecerit injuriam creditor, si debitum ab ipso postulet:



Sic homo suâ culpâ potentiam seu facultatem præstandi legem amisit, plus credens Diabolo quàm Deo, & ab hoc ad illum deficiens. Itaque Deus non facit homini injuriam, cum debitam culpam & obsequium postulat. Hîc si quis dicat, hominem à Deo non defecisse sua sponte, sed deceptum à diabolo: sciendū est, hominem nō ideò esse innocentem, quippe cum non fuerit à diabolo ad peccandum coactus, sed libertate arbitrii qua fuerat præditus, malè fuit usus. Quòd autem primorum parentum peccatum toti posteritati eorum imputatur; justo Dei judicio fit, videl. jure hæreditario. Omnes enim peccaverunt in Adamo, id est, in lumbis Adæ, sicut Levi fuit decimatus in lumbis Abrahæ *Rom. 5. v. 12. 1. Cor. 15. v. 22. Hebr. 7. v. 9. & 10.* Acceperat enim Adam à Deo imaginem Dei tanquam feudum, ac proinde non solum pro suâ personâ, sed etiam pro posteris, si maneret fidelis vasallus. Nunc verò quoniam à domino feudo ad hostem illius defecit, jure privatus est feudo cum totâ posteritate.

## X. QUÆSTIO.

*Num Deus hanc contumaciam & defectionem hominis dimittit impunitam?*

Imò verò horrendis modis irascitur a, tum ob innata nobis peccata, tum ob ea, quæ ipsi committimus, eaque justissimo judicio præsentibus & æternis suppliciis punit, quemadmodum



modum ipse pronunciat : *Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis, ut ea faciat c.*

a *Rom. 5. 1. Heb. 9. 27.* b *Deut 27. 26. Gal. 3. 10.*

## E X P L I C A T I O.

Sequitur de peccati effectis, id est de pœnis, & docetur hîc Deum peccata punire : cæque pœnæ distinguuntur ex adjuncto tempore in præsentis, id est, præsentis vitæ pœnas, & æternas, id est, alterius vitæ pœnas, quas damnati luent in gehenna. Obiter etiam ipsum peccatum distinguitur è subjectis recipientibus in se, videlicet natura & actione, videl. quòd peccatū quoddam nobis sit innatū ac proinde inhærens naturæ nostræ, alia verò à nobis committantur, quæ hærent in nostris actionibus. Pro eo autem quod in textu habetur, *ob innata nobis peccata*, dicendum, *ob innatum nobis peccatum*, propter causam in quaestione 7. indicatam. Cæterum Deum punire peccatum, probatur à causa efficiente impulsiva, videlicet à justitia Dei, ubi dicitur, *Justissimo judicio punit;* deinde testimonio divino *Deut. 27.* cui adde *Rom. 5. v. 12. & c. 6. v. ult. Matth. 25. v. 41.*

## X I. Q U Æ S T I O.

*An non igitur Deus etiam est misericors?*

Est ille quidem misericors a, verùm ita, ut etiam sit justus b. Quapropter postulat ejus



justitia, quod adversus summam Dei majestatem commissum est, id quoque ut summis, hoc est, sempiternis cum animi tum corporis suppliciis luatur.

a *Exod. 34. 6.* b *Exod. 20. 5. Psal. 5. 5. 2. Cor. 6. 14.*

## E X P L I C A T I O.

Sequitur objectio; Si Deus est misericors, parcit miseris, ac proinde non punit peccatores. Atqui Deus est misericors. Resp. Negatione propositionis, quia licet Deus sit misericors, tamen est etiam justus, ac proinde non solum parcit, ut misericors pater, sed etiam punit, ut justus judex; nec parcit, nisi iis, quorum poenam alius luit, qui ad luendum fuit idoneus.



## P A R S II.

D E L I B E R A T I O N E  
H O M I N I S.

## E X P L I C A T I O.

**P**RIMUS locus Theologicus qui in hac parte occurrit est de Mediatore, de quo quatuor doctrinae capita tractantur, i. ostenditur Mediatorem nobis esse necessarium, quaest. 12, 13. deinde qualem eum esse oportet.



oporteat, quæst. 14. 15. 16. 17. tùm quis ille sit, quæst. 18.  
19. Postremò quosnam liberet quæst. 20.

## XII. XIII. Q U Æ S T I O

*Quoniam igitur justo Dei judicio, temporalibus &  
æternis pœnis obnoxii sumus: estne reliqua ulla ra-  
tio aut via, qua his pœnis liberemur, &  
& Deo reconciliemur?*

Vult Deus suæ justitiæ satisfieri *a*: quocir-  
ca necesse est, vel per nos, vel per alium satis-  
faciamus *b*.

*Possumusne ipsi per nos satisfacere?*

Nulla ex parte: quin etiam debitum in  
singulos dies augemus *c*.

*a* Exod. 20. 5. & 23. 7. *b* Roman. 8. 3. 4. *c* Job. 9. 2. 3.  
& 15. 15. Matth. 6. 12.

## E X P L I C A T I O.

Hic ostenditur, mediatorem nobis esse necessa-  
rium hoc Syllogismo: Si à miseria nostra liberari ve-  
limus, necesse est, ut satis faciamus justitiæ Dei, vel  
per nos ipsos vel per alium, qui sit mediator inter  
Deum & nos. Atqui nō possumus satisfacere per nos  
ipsos. Igitur ut à miseria nostra liberemur, opus ha-  
bemus mediatore, qui justitiæ Dei pro nobis satisfa-  
ciat. Assumptio amplificatur à majori, ubi dicitur nos



non solum non posse satisfacere, sed etiam insuper debitum augere. Potest autem confirmatio illius summi ex quæstione seq. ubi habetur nullam creaturam iram Dei adversus peccatum sustinere posse. At omnis homo creatura est; & qui justitiæ Dei satisfacere vult, eum oportet iram ejus adversus peccatum sustinere.

XIV. XV. XVI. XVII. QUÆSTIO.

*Potestne ulla creaturarum, in cælo vel in terra,  
quæ tantum creatura sit, pro nobis  
satisfacere?*

Nulla: Nam principiò non vult Deus, quod homo peccavit, id in ulla alia creatura plectere *a*. Deinde nec potest quidem, quod nihil nisi creatura sit, iram Dei adversus peccatum sustinere, & alios ab ea liberare *b*.

*a Heb. 2. 14. b Psal. 130. 3.*

*Qualis ergo querendus est mediator & liberator?*

Qui verus quidem homo sit *c*, ac perfectè justus *d*, & tamen omnibus creaturis potentior, hoc est, qui simul etiam sit verus Deus *e*.

*c 1. Corinth. 15. 21. d Jer. 23. 6. Jes. 53. 11. 2. Cor. 5. 14. Heb. 7. 16. e Jes. 7. 24. Rom. 8. 3. Jerem. 23.*



*Cur necesse est eum verum hominem, & quidem perfectè justum esse?*

Quia justitia Dei postulat, ut eadem natura humana, quæ peccavit, ipsa pro peccato dependat *f*: qui verò ipse peccator esset, pro aliis dependere non posset *g*.

*f Roman. 5. 12. 15. Jerem. 33. 15. g 1. Pet. 3. 18.*

*Quare oportet eum simul etiam verè Deum esse?*

Ut potentiâ suæ divinitatis, onus iræ divinæ, carne suâ sustinere *h*, nobisque amissam justitiam & vitam reparare ac restituere possit *i*.

*h Jes. 53. 8. Act. 2. 24. 1. Pet. 3. 18. i 1. Joh. 1. 2. & 4. 9. 10. Act. 20. 28. Job. 3. 16.*

#### E X P L I C A T I O.

His quæstionibus docetur, qualem Mediatorem nostrum esse oporteat, videl. hominem & quidem justum sive sanctum hominem, & insuper Deum. Ac hominem quidem esse oportet, quia homo peccavit. Justitia autem Dei postulat, ut natura humana quæ peccavit, etiam pœnam luat. Hanc rationem innuit Paulus *Rom. 5. v. 19.* ubi ait: Sicut per inobedientiam unus hominis &c. Item *1. Tim. 2. v. 3.* Unus est Deus & unus Mediator Dei & hominum, Homo, Christus Jesus. Huc adde, quia Mediatorem oportuit mori, Deus enim homini peccaturo minatus erat

B



mortem *Gen. 2. v. 17.* Et huc respicit Paulus *Heb. 2. v. 14.* ubi ait, Quoniam pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque Christus particeps factus est eorūdem, ut per mortem aboleret eum &c. Similiter *1. Tim. 2. v. 6.* Justum verò sive sanctum esse oportuit Mediatorem, quia peccator pro aliis dependere non potest. Huc respicit Petrus *1. Pet. 3. v. 18.* ubi ait, Christus passus est semel pro peccatis nostris, justus pro injustis. Et *Esa. c. 53. v. 11.* Cognitione sui justificabit servus meus justus multos. Huc adde, quia Mediatorem nostrum oportuit esse sacerdotem, qui se ipsum pro nobis offerret. Ut igitur haberet accessum ad Deum, & victima Deo placeret, oportuit & sacerdotem esse sanctum & victimam sanctam. De sanctitate sacerdotis loquitur Paulus *Hebr. 7. v. 27.* ubi ait, Talis nos decebat Pontifex, pius, innocens. De sanctitate autem victimæ loquitur Petrus *1. Pet. 1. v. 10.* ubi ait, Redempti estis sanguine Christi tanquam agni immaculati & in contaminati, &c. Denique Deum esse oportuit Mediatorem, ut & mortem posset vincere, & justitiam ac vitam nobis reparare. De victoria mortis habetur *Esa. 25. v. 8.* De reparatione justitiæ & vitæ loquitur Joh. Baptista *Joh. 1. v. 33.* ubi ait, Jesum, baptizaturum per Sp. S. Huc adde quòd Deum esse oportuit, ut *ἀνάγειν* satis esset pretiosum; quòd respicit Paulus *Act. 20. v. 28.* ubi ait, Ecclesiam acquisitam esse sanguine Dei. Item Johannes *1. Joh. 1. vers. 7.* ubi ait sanguinem filii Dei purgare nos ab omni peccato.

Quæ



*Quis autem est ille Mediator, qui simul est verè  
Deus & verus ac perfectè justus  
homo?*

Dominus noster Jesus Christus *a*, qui factus est nobis Sapiencia à Deo, Justitia, Sanctificatio & Redemptio *b*.

*a Matth. 1. 23. 1. Tim. 3. 16. Luc. 2. 11. b 1. Corint. 1. 30*

*Unde id scis?*

Ex Evangelio, quod Deus primùm in paradiso *c* patefecit, ac deinceps per Patriarchas *d* & Prophetas propagavit: sacrificiis reliquisque ceremoniis Legis adumbravit *e*: Ad extremum verò per filium suum unigenitum complevit *f*.

*c Gen. 3. 15. d Gen. 22. 1. & 49. 10. 11. Rom. 1. 2. Heb. 1. v. 1. Act. 3. 22. 23. 24. & 10. 43. e Job. 5. 46. Heb. 10. 7. f Rom. 10. 4. Gal. 4. 4.*

E X P L I C A T I O.

Hisce duabus quæstionibus docetur, quisnam sit Mediator noster, videlicet Dominus noster Jesus Christus, quod probatur testimonio duplici, uno speciali ex priori ad *Corinth. 1. v. ult.* altero generali, videlicet testimonio Evangelii. Cæterùm ad intelligendum testimonium illud speciale, notanda est allego-



ria metonymica, nam Christus dicitur factus nobis à Deo, primùm sapientia, id est, is in cujus cognitione consistit vera & solida nostra sapientia, teste Paul. 1. Cor. 2. v. 2. ubi ait, se decrevisse, quòd nihil sciret inter Corinthios nisi Jesum Christum & hunc crucifixum. Item ad Coloss. 2. v. 3. ubi ait, in Christo reconditos esse omnes thesauros sapientiæ: vel noster Propheta seu Doctor, qui nos per prædicationem Evangelii & Spiritum S. de benevola voluntate Dei erga nos edocet ac persuadet, teste Job. c. 1. v. 18. Deum nemo vidit unquam, &c. Matth. 11. v. 27. Nemo novit filium, nisi pater, &c. Deinde dicitur nobis factus justitia, i. e. is, cujus obedientia ergà patrem nempe obedientia mortis, nobis in justitiam imputatur, ita ut induti hac justitia Christi, comparentes coràm tribunali Dei justificemur, hoc est, absolvamur. Rom. 5. v. 19. | Tertiò dicitur nobis factus sanctificatio, id est, sanctificator, qui nos per S. S. regenerat, ad veram Deoque placentem sanctitatem Job. 1. v. 13. Postremò dicitur nobis factus redemptio, id est, noster redemptor, qui pretio sui sanguinis semel nos redemit è potestate diaboli, ac tandem in fine mundi redempturus seu liberaturus est ab eà cruce, cui nos in hac vitâ subjectos esse vult. De priore redemptione vide Matth. 20. v. 28. Rom. 3. v. 24. Eph. 1. v. 7. 1. Pet. 1. v. 18. 19. De posteriore loquitur Christus Luc. 21. vers. 28. Ubi prædicat signa adventûs sui: Et Paulus ad Rom. 8. v. 23. Expectantes redemptionem corporis nostri. Item Ephes. 4. v. 30. Jam ad generale testimonium quod



quod attinet, vocabulo Evangelii hîc generaliter significatur testimonium divinum de remissione peccatorum & vitâ æternâ propter Christum mediatorem, ita ut hæc vox complectatur tum promissiones Vet. Testamenti de Christo venturo, tum annunciationem redemptionis jam per Christum peractæ, quæ annuntiatio aliâs specialiter & propriè Evangelium nominatur, ut percipitur ex verbis Pauli *Rom. 1. v. 12.* Enumerantur autem hîc quinque quasi gradus annunciationis Evangelii secundum diversa tempora & personas & mores. Primus gradus est promissio illa prima primis nostris parentibus statim post lapsum facta in paradiso de semine mulieris contrituro caput serpentis *Gen. 3. v. 15.* Secundus gradus continet promissiones factas Patriarchis, ut Abrahamæ *Gen. 2. v. 18.* Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Item Jacobo *Gen. 49. v. 10.* Tertius gradus continet vaticinia Prophetarum, ut Moysi *Deut. 18. v. 15.* Suscitabit, &c. *Actor. 3. v. 23.* Davidis *2. Sam. 7. v. 12.* Apud Esaiam plurima occurrunt *c. 7. v. 17. c. 9. v. 6. c. 11. v. 1.* & apud *Dan. c. 9. v. 24. &c.* Item apud *Mich. c. 5. v. 2. Zachar. 2. v. 14. &c. 3. v. 8. Malach. 3. v. 1.* Quartus gradus continet sacrificia & alias ceremonias legis, quibus adumbratum fuit sacrificium Christi, ut videre est *Heb. 9. v. 12.* Item *c. 10. v. 1.* Huc etiam referri potest locus *Hebr. 11. v. 4.* de sacrificio Abelis. Postremus gradus est plena prædicatio redemptionis per Christum peractæ, & est propria novi Testamenti, de quâ loquitur Christus *Matth. 11. v. 11.*



Non omnibus; verùm iis tantùm, qui verâ fide ipsi inseruntur, ejusque beneficia amplectuntur *a.*

*a* *Johan. 1. 12. & 3. 36. Jes. 53. 11. Psal. 2. 12. Roman. 11. 17. 19. Hebr. 4. 2. & 10. 39.*

## E X P L I C A T I O.

Hic traditur quartum doctrinæ de Mediatore caput, quod est de Mediatoris objecto seu subjecto occupante, quorum scilicet Mediator sit ac salvator Christus, seu, quosnam servet: & pronunciat, salutem in Adamo amissam reddi non omnibus seu singulis hominibus, contrâq; innuitur; eam reddi solis electis. Negativum illud pronunciatum demonstratur argumento à causa instrumentali ex parte illorum qui servantur, quod argumentum concluditur hoc syllogismo:

Quibuscunque salus per Christum redditur, illi verâ fide ipsi inseruntur, ejusque beneficia amplectuntur:

Atqui non omnes homines vera fide ipsi inseruntur, &c.

Ergò non omnibus hominibus per Christum salus redditur.

Quod confirmatur his scripturæ dictis *Joh. 1. v. 12. Joh. 3. v. ult.*

Assumptio probatur testimonio experientiæ, nec non testimoniis scripturæ ut *Joh. 3. v. 2. Joh. 6. v. 36.*



37. *cap. 10. v. 26.* Jam alterum pronunciatum quod soli electi per Christum servantur, eodem argumento demonstratur, in hunc modum:

Quicumque verâ fide Christo inseruntur, ejusque beneficia amplectuntur, illis salus per Christum redditur.

At soli electi verâ fide Christo inseruntur.

Ergo solis electis salus per Christum redditur.

Propositio jam ante confirmata est. Assumptio probatur his scripturæ testimoniis. Ad *Tit. 1. vers. 1.* fides salvifica nominatur fides electorum Dei. *Act. 3. v. 48.* *Joh. 6. v. 36. 37.* *Rom. 8. v. 20.* *Joh. 10. v. 26,* Sed non creditis quia non estis ex ovibus meis. Hinc sequitur illos solos credere, qui sunt ex ovibus Christi, id est, ex numero electorum. Præterea pronunciatum utrumque probari potest à causa instrumentali ex parte servatoris ad hunc modum:

Quibuscunque salus amissa redditur per Christum, pro illis Christus est mortuus:

Atqui Christus non est mortuus pro singulis hominibus, sed pro solis electis.

Ergo salus non redditur singulis hominibus, sed &c.

Propositio probatur omnibus illis S. Scripturæ dictis quæ testantur salutem hominum æternam partam esse morte Christi: in quorum numero sunt hæc *Matth. 20. vers. 28,* Filius hominis non venit, ut sibi ministraretur. *Johan. 12. vers. 34.* Nisi &c. & *v. 32.* *Ephes. 1. vers. 2.* &c. Assumptio probatur se-



quentibus S. Scripturæ testimoniis *Marc. 10. v. 45. Matth. 23.* qui effunditur pro multis, non pro omnibus *Marc. 10. v. 15. Johan. 11. v. 51. 52. Actor. 20. v. 28. Rom. 8. v. 33. 34. cap. 5. v. ult.* Sic *Esa. 53. v. 12. Hebr. 10. v. 14. c. 13. v. 20.* Deinde eandē assumptionē confirmo hoc argumento: Pro quibus Christus se obtulit, seu mortuus est, pro iisdem etiam oblaturus seu moriturus oravit: Non autem oravit pro mundo, sed pro electis solis. Propositionis veritas patet ex in dissolubili nexu duorum istorum summi sacerdotis officiorum, quæ sunt: pro Dei populo offerre, & pro eodem orare, *Lev. 16. Hebr. 5. v. 1. 3. 7. & c. 8. v. 3. 4. & 27. c. 9. v. 7. 12. 14. 26. 28. v. 10. 11. 12. 14.* Assumptio probatur dicto Christi *Joh. 17. v. 9.* Ad hæc, utrumque istud pronunciatum probatur expressis scripturæ dictis: in quorum numero sunt hæc, *Matth. 1. v. 21. Roman. 10. v. 26.* Totus Israel servabitur, sicut scriptū est. *Eph. 5. v. 23.* Christus est caput Ecclesiæ, & ipse est, qui salutem dat corpori. *Heb. 5. v. 9.* Et consecratus Christus factus est autor salutis æternæ. Contra quod Deus singulos homines salvos fieri velit, quodque Christus pro singulis sit mortuus, conantur quidam probare ex his scripturæ dictis 1. *Roman. 5. v. 18:* Sicut per unius delictum in omnes homines condemnatio: sic per unius justitiam in omnes homines justificatio. Respond. Nomen OMNES non est hîc intelligendum absolutè, sed de cettis generibus, videlicet in protasi comparationis de naturalibus hæredibus Adæ: in apodosi verò de fidelibus qui per fidem inseruntur  
secundo



secundo Adamo, id est, Christo, id quod patet tùm ex verbis proximè sequentibus, ubi eadem sententia repetitur, & pro vocabulo *Omnes*, substituitur vocabulum *Multi*: tùm ex scopo Apostoli, qui inde à *v. 12.* illius capitis hoc agit, ut Christum & Adamum inter se compareret, tanquam duas stirpes, quarum utraque suis ramis communicat quæ habet: Adam quidem suis, videlicet naturaliter ex ipso ortis omnibus, duo mala: peccatum & mortem: Christus verò suis, spiritualiter videlicet ipsi insitis, duo contraria bona justitiam & vitam, ut percipitur ex *v. 17.* ubi justitia & vita per Christum conferri dicitur, non simpliciter omnibus, sed iis qui redundantem illam gratiam & donum justitiæ accipiunt, id quod per fidem fit. *2. Roman. 11. v. 32.* Concluserunt Deus omnes in contumaciam, ut omnium misereretur. Respond. Hic quoque vocabulum OMNES non est intelligendum absolute, de singulis scilicet hominibus: sed de certis generibus, videlicet tùm Judæis tùm Gentibus, uti in græco percipitur, ex præposito articulo τῶν. Ait enim τῶν πάντων, omnes illos, de quibus sc. hæcenus disputaverat Paulus; illi autem sunt tùm gentes de quibus *c. 1. c. 2. usq. ad vers. 17.* tùm Judæi de quibus inde usq. ad *c. 4.* De utrisque verò egerat in illo ipso capite, nempe de gentium vocatione & Judæorum rejectione. De his igitur utrisque in genere atque indefinite acceptis pronunciat, Deum illos omnes, i. e. non minùs Judæos quàm gentes conclusisse sub inobedientiam, h. e. in suo verbo convicisse eos pec-



cati: ut omnium illorum, videlicet tam Judæorum quàm gentium misereretur, id est, ut ex misericordia servaret, quoscunque tam ex Judæis, quàm ex gentibus servaret: non autem Judæos ex meritis operum legis ab ipsis præstitorum, ut ipsi sibi falsò persuadebant. Cõferatur locus ad *Gal. 3. v. 22.* ubi ait Paulus, *Conclusit scriptura omnia, &c. 3. 1. Joh. 2. v. 2.* *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris solùm, sed etiam pro totius mundi, scil. peccatis.* Respond. per totum mundum intelligit Johannes credentes totius mundi, ut patet ex vocabulo *Nostris*, quod refertur ad ipsum, & ad illos ad quos scribebat: illi autem erant credentes. 4. *Matth 11. v. 28.* *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo vos.* Respond. His verbis promittit Christus se refocillaturum (nempe per consolationem Spiritus Sancti ex merito mortis suæ petitam) non omnes, qui peccatis onusti sunt, id est, singulos homines: sed omnes, qui peccati onus sentientes ad ipsum veniunt, hoc est, consolationem ejus & gratiam expetunt; hoc autem non faciunt nisi electi, qui à patre trahuntur: sicut ipsemet testatur *Johan. 6.* Sensum illum verborum ostendit ipsa cohærentia sententiarum: *Venite & refocillabo*, id est, venite. nam si veneritis, refocillabo. Non autem vult dicere, se refocillaturum omnes, i. e. singulos homines sive ad ipsum veniant, sive non. 5. *2. Cor. 5. v. 14. 15.* *Charitas illa Christi constringit nos, ut qui statuerimus hoc, si unus pro omnibus mortuus fuit, nempe omnes fuisse mortuos.* Respond. Apo-  
stolus



stolus hîc loquitur non de omnibus hominibus, sed  
 de omnib. credentibus, ut patet ex verbis quæ conti-  
 nenter annectit, inquit: Et illum pro omnibus  
 mortuum esse, ut qui vivunt, posthac non sibi vivant,  
 sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Hanc  
 enim sanctæ vitæ gratiam solis credentibus Christus  
 largitur. Aut igitur dicendum, Christum finem seu  
 scopum suæ mortis, non in omnibus assequi, id quod  
 absurdum & blasphemum est: aut concedendum, de  
 solis credentibus hîc sermonem esse, quippe qui soli  
 fructum illum mortis Christi, sanctam sc. vitam per-  
 ciunt, operante scilicet eam Spiritu Sancto, quem  
 Christus suâ morte electis impetravit. 6. Rom. 14.  
 v. 15. *Ne esca tua illum perdito, pro quo Christus mor-  
 tuus est, & 1. Cor. 8. v. 11. Et tuâ istâ scientiâ frater qui  
 infirmus est, propter quæ Christus mortuus est, peribit:*  
 Hinc colligunt Christum mortuum esse etiam pro  
 damnatis, & per consequens, pro singulis homini-  
 bus, nam quod p. salvandis mortuus sit, extra contro-  
 versiam est. Recip. Apostolus loquitur non de certo-  
 damnandis, sed de iis qui nobiscum unâ profitentur  
 fidem Christianam, ac proinde ex charitate habendi  
 sunt pro electis pro quibus Christus est mortuus:  
 quum interim fieri possit, ut non sint electi & à fide  
 deficiant ac damnentur, idque nostrâ culpâ, si illis  
 scandalum dederimus. Monet igitur Apostolus ne  
 cuiquam scandalum demus, ne culpâ nostrâ pereant  
 ii, quorum salus nobis erat studiose procuranda,  
 cum sint à nobis habendi pro electis, pro quibus



Christus est mortuus. 7. Ad *Hebr. 6. v. 7.* habetur, Apostatas, qui certò sunt damnandi, rursus crucifigere sibi filium Dei. Hinc colligunt, filium Dei pro illis semel crucifixum fuisse, & *c. 10. v. 6.* ait, apostatis non esse reliquam pro peccatis hostiam. Inde colligunt hostiam pro peccatis illorum antea fuisse oblatam. Item *v. 29.* dicit, illos profanum ducere sanguinem federis, per quem fuerant sanctificati. Sic *2. Petr. 2. v. 1. 2.* ait apostolus, exorturos hæreticos qui abnegaturi sint Dominum, qui ipsos mercatus fuerat, & accersituros sibi velox exitium. Respond. Hæc omnia loca intelligēda sunt de iudicio charitatis, quæ omnia credens (*1. Cor. 13.*) proximi fidem ex professione æstimat, sed interim non rarò fallitur. Etsi igitur plurimi ex iis, qui fidem Christianam profitentur, sanguine federis sanctificati nō sunt, nec hostia Christi pro illis oblata fuit, nec ipsos mercatus fuit Dominus: tamen à nobis quamdiu fidem profitentur, & hypocrisis ipsorum nondum est detecta, pro iis habendi sunt, quibus hæc beneficia à Christo contigerunt. 8. *Joh. 3. v. 17.* Sic Deus dilexit mundum, &c. Respondeo: Per mundum hîc intelligēdi sunt electi totius mundi, i. e. tam ex gentibus quàm ex Judæis, ut planum fit ex illis verbis, *Ut omnis qui credit in eum, non pereat;* nam solis electis datum est, ut credant. 9. *1. Tim. 2. v. 4.* Deus vult omnes homines servari. Resp. Omnes, id est, *omnis generis homines*, nempe tam ex regibus & principibus aliquot, quàm ex plebeis; ut percipitur ex collatione præcedentium verborum: ubi præcipit, ut  
orent



orent etiam pro regibus & in eminentia constitutis, & inter alias rationes hanc quoque affert, quia Deus velit omnes homines servari, tam reges scil. quam alios. Sic accipitur illud vocabulum *Luc. 11. v. 24.* Item *ad Ephes. 1. v. 3.* Benedixit, &c. *10. 2. Pet. 3. v. 9.* Dominus est patiens erga nos, non volens aliquos perire, sed omnes ad resipiscentiam tendere. Respond. Petrus hinc non loquitur de omnibus hominibus, sed de solis illis qui ex professione pro credentibus habentur, ut patet ex verbis, *Erga nos.* De illis autem ex charitate ita est judicandum, quod Deus neminem illorum velit perire, etsi interim certum est, Deum velle ut pereant reprobi omnes, sive fidem profiteantur sive non.

## XXII. QUÆSTIO.

*Quid est fides?*

Est non tantum notitia, qua firmiter assentior omnibus quæ Deus nobis in verbo suo patefecit *a*, sed etiam certa fiducia *b*, à Spiritu sancto *c* per Evangelium in corde meo accensa *d*, quâ in Deo acquiesco, certò statuens, non solum aliis, sed mihi quoque remissionem peccatorum, æternam justitiam & vitam donatam esse *e*, idque gratis ex Dei misericordia propter unius Christi meritum *f*.



a *Heb. 11. 13. Jac. 2. 19. Gal. 2. 20.* b *Rom. 4. 16. & 10. 10.*  
*Rom. 5. 1.* c *Matth. 16. 17. 2. Corinth. 4. 13. Job. 3. 5.*  
*Galat. 5. 22. Philip. 1. 19. & 29. Rom. 1. 16. Rom. 10. 17.*  
d *Hebr. 10. 38. 39. Habac. 2. 4. 2. 16. Ephes. 2. 7. 8. 9.*  
*Rom. 5. 1.* e *Matth. 28. 20. Rom. 3. 24. 25.*

## E X P L I C A T I O.

Haftenus de duobus locis communibus Theologicis tractatum fuit, videlicet de Peccato & de Mediatore: sequitur nunc tertius locus qui est de Fide, cujus primum traditur definitio *quaestione 21*, deinde ejusdem indicantur subjecta occupantia, seu objecta, *quaest. 22. 23*. Quum enim fidei vocabulum variè accipiatur in scriptura, (distinguitur enim in historicam, miraculosam, temporariam & justificantem) sciendum est de postremo genere hinc sermonem esse. Historicam fidem vocant, qua creditur historia verbi Dei, de qua fide *Act. 26. v. 27. Jac. 2. v. 19*. Miraculosam dicunt cujus vi Apostoli & nonnulli eorum successores edebant miracula, de quâ fide *Matth. 17. v. 20*. Item *c 21. v. 21*. Item *1. Cor. 13. v. 2*. Temporariam nominant, quâ nonnulli fidem Christianam proficentur ad tempus, de qua fide *Matth. 13. v. 20. Luc. 8. vers. 13*. Justificans denique fides appellatur, qua homo justificatur, hoc est, justus pronuntiatur, atque absolvitur coram tribunali Dei, de qua plurimus scripturae, maximè Novi Testam. sermo est, tum apud Evangelistas, tum præcipuè in epist. Pauli, cæterorumque apostolorum. Vide ad *Rom. 3*. Genus in  
haec



hac definitione est *assensus firmus*, quo fideles assentiuntur omni verbo Dei. Differentia sumpta ab effectu, est *fiducia*, qua fidelis in Deo tanquam placato patre acquiescit. Porro hæc fiducia declaratur, partim è causa efficiente, tum principali *Spiritu S.* tum instrumentali, *Evangelio*; partim è materia, videlicet *applicatione speciali* promissionis generalis *Evangelii*, quæ ipsa fidei justificantis differentia formalis est. Et ibi simul declaratur fidei objectum, videlicet *promissio Evangelii*, idque ex ipsius objectis, videl. *remissione peccatorum* sive *justitiâ & vitâ aternâ*. Quæ objecta amplius declarantur partim è causis efficiētibus, quæ sunt *Deus pater, & Christus*: partim ex fine, qui est *gloria misericordiæ & justitiæ Dei*. Brevius autem sic videtur definienda fides justificans, quòd nihil aliud sit, quàm firmus assensus, quo quisque fidelium assentitur promissioni *Evangelii*, tanquam ad se non minùs, quàm ad alios electos pertinenti. Cæterùm de firmitudine illa assensus vide *Heb. 1. v. 1. Rom. 4. v. 18. &c.* De fiducia vide *Rom. 5, à versu 1. usque ad 12. Item Rom. 8. v. 15. & 23. 26. 28. Item v. 31. usq; ad finem capituli. Item ad Philip. 1 v. 19. Psal. 31. v. 1. 3. & 14. &c.* Quòd autem fides sit effectum & donum *Spiritus Sancti*, liquet ex his testimoniis, *Matth. 16. v. 17. Joh. 6. v. 44. Ephes. 2. v. 8. Act. 16. v. 14.* Præterea quòd fides efficiatur per *Evangelium*, testantur hæc scripturæ dicta. *Rom. 1. v. 16. c. 10. v. 17. Epist. ad Philem. v. 10.* Porro applicationis illius specialis exempla extant ad *Galat. 2. v. 20. Roman. 4.*



v. ult. *Esai. 9. v. 5. & cap. 53. v. 4. 5.* Quòd autem in Evangelio promittatur remissio peccatorum seu iustitia, vide *Matth. 9. v. 2. Jerem. 31. v. 34. Rom. 1. v. 16. 17.* Postremò quòd bona illa credentibus donentur à Deo gratis, testantur hæc dicta *Ephes. 2. v. 8. Rom. 3. v. 24. Luc. 1. v. 77. 78.*

## XXII. QUÆSTIO.

*Quanam sunt illa quæ necesse est hominem Christianum credere?*

Omnia, quæ nobis in Evangelio promittuntur *a*, quorum summa in Symbolo Apostolico, seu in capitibus catholicæ & indubitatae omnium Christianorum fidei, breviter comprehenditur.

*a Johan. 20. 31. Matth. 28. 20.*

## E X P L I C A T I O.

Sequitur de fidei subjecto occupante, sive objecto, quod est *Symbolum Apostolicum*, quod quidem fidei subjectum est, tum ratione generis, quod est assensus; nam fides omnibus in symbolo comprehensis assentitur; tum ratione formæ, hoc est, applicationis illius specialis, qua fidelis promissionem Evangelii symbolo contentam sibi speciatim applicat: tum denique ratione effecti, hoc est, fiduciae illius filialis, quia fidelis fiduciam suam collocat in Deo patre, & filio



filio & Sp. S. quorum singulorum erga fidelem beneficia in symbolo summatim enumerantur.

## XXIII. QUÆSTIO.

*Quod est illud Symbolum?*

*Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem celi & terræ. Et in Jesum Christum Filium ejus unigenitum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus, descendit ad inferna, tertio die resurrexit à mortuis, ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est judicatum vivos & mortuos.*

*Credo in Spiritum sanctum: Credo sanctam Ecclesiam, catholicam; sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam.*

## EXPLICATIO.

*Symbolum vocata est hæc fidei Christianæ con-*



fessio, quòd ex ea tanquam symbolo seu tessera agnoscat miles Christi, id est, homo Christianus. *Apostolicum* autem nominatur, sive, quòd ab ipsis Apostolis compositum & comportatum sit, sive quòd ex Apostolorum scriptis excerptum atq; extractum sit, & Apostolicæ doctrinæ summam contineat.

## XXIV. QUÆSTIO.

*In quot partes distribuitur hoc Symbolum?*

In tres partes. Prima est de æterno Patre, & nostri creatione. Altera est de Filio, & nostri redemptione. Tertia est de Spiritu sancto, & nostri sanctificatione.

## E X P L I C A T I O.

Traditur hîc symboli partitio trimembris, petita ex fidei objectis, videlicet tribus personis sanctæ Trinitatis, in quas nos credere profiteamur, & ex subjectorum illorum effectis, videl. tribus insignibus illarum personarum operibus, quibus illæ sese nobis patefecerunt, & quotidie per verbum patefaciunt; quæ opera sunt *Creatio, Redemptio & Sanctificatio*. E quibus creatio tanquam propria attribuitur patri propter principatum originis, quia à patre tanquam primo omnium fonte principaliter creatus est mundus, veruntamen per filium, cooperante etiam Spiritu S. Filio adscribitur redemptio, quoniam is suo sanguine nos redemit, missus tamen ad hoc à patre, & homo  
 circa-



creatus operatione Spiritus Sancti, Spiritui S. attribuitur sanctificatio, quia is immediatè sanctificat corda electorum, missus tamen à patre & filio.

## XXV. QUÆSTIO.

*Cùm una sit tantùm essentia divina a: cur tres istos nominas, Patrem, Filium & Spiritum sanctum?*

Quia Deus ita se in suo verbo patefecit b, quòd tres hæ distinctæ personæ sint unus ille verus & æternus Deus.

a Deut. 6. 4. Ephes. 4. 5. & 6. b Jes. 61. 1. Luc. 4. 18. Psal. 110. 1. Matth. 3. 16, 17. & 28. 19. 1. Johan. 5. 7.

## E X P L I C A T I O.

Haftenus de fide, jam de Deo, de quo duo traduntur, 1. quòd Deus tantùm unus sit, 2. quòd tres hæ distinctæ personæ, quæ in scriptura vocantur Pater, Filius & Spiritus S. sint unus ille verus & æternus Deus. Proponuntur autem hi duo articuli fidei nostræ, per prolepsin apparentis contradictionis, quasi scilicet unitate essentiæ affirmatâ, necesse sit trinitatem personarum negari, ac proinde impossibile sit, utrumque verè simul affirmari. Ad quam objectionem respondetur negatione propositionis connexæ affirmantis; contrariaque negatio, vel potius huic æquipollens affirmatio, sive discreta sive copulata, probatur auctoritate testimonii divini; quod pro utraque enun-

tiatio-



ciationis probandæ parte multiplex in sacris literis reperitur; ut pro parte priorè quæ est de essentiæ divinæ unitate, extant testimonia in his locis *Deut. 4. v. 35. c. 6. v. 4. c. 32. v. 39.* Item *1. Sam. 2. v. 2. 2. Reg. 5. v. 15. 1. Chronic. 17. v. 9.* Atque hæc in Testamento veteri. In novo occurrunt ista *Matth. 4. v. 10. Rom. 3. v. 30. 1. Cor. 8. v. 6. Eph. 4. v. 6. 1. Tim. 2. v. 5.* Pro parte verò altera reperiuntur hæc testimonia in veteri Testamento, *Genes. 1. v. 16. &c. cap. 11. v. 7. Exod. 2. v. 2. Deut. 6. v. 4.* Quidam etiam huc referunt locum *Esa. 6. v. 3.* Deinde in novo *Matth. 3. v. 16. 17. cap. ult. v. 19. Galat. 4. v. 6.* Denique pro utrâque parte simul extat illustre testimonium *1. Joh. 5. v. 7.*

## XXVI. QUÆSTIO.

## D E P A T R E.

*Quid credis, cùm dicis: Credo in Deum Patrem  
omnipotentem, creatorem cæli  
& terræ?*

Credo æternum Patrem Domini nostri Jesu Christi, qui cælum & terram, cum omnibus quæ in iis sunt, ex nihilo creavit *a*, quiq̄ue eadem æterno suo consilio & providentiâ sustentat ac gubernat *b*: propter Christum, Deum meum & Patrem meum esse *c*: itaque sic ei confido, sic in eo acquiesco, ut  
non



non dubitem, quin provifurus fit omnibus, tum animo, tum corpori meo necessariis *d.* Quinetiam, quæ mihi mala in hac ærumnoſa vita immittit, ea in meam ſalutem ſit converſurus *e,* cùm & facere id poſſit, ut omnipotens Deus *f,* & facere id velit, ut benignus Pater *g.*

*a* Genes. 1. Pſal. 33. 6. *b* Pſal. 104. & 115. 3. Matth. 10. 29. Heb. 1. 3. Rom. 11. 36. *c* Johan. 1. 12. Roman. 8. 15. Gal. 4. 5. 6. 7. Epheſ. 1. 5. *d* Pſal. 55. 23. Matth. 6. 25. 26. Luc. 12. 22. *e* Roman. 8. 28. *f* Roman. 10. 12. *g* Matth. 6. 26. & 7. 9. 10. 11.

## E X P L I C A T I O.

Hic primò omnium notandum, quomodò differant tres iſtæ locutiones; *Credere Deo, credere Deum, credere in Deum.* Credere Deo, eſt pronunciatis Dei aſſentire. Credere Deum, eſt ſtatuerè eſſe Deum. Credere in Deum eſt fiduciam in Deo collocare. Cæterùm declaratio primi articuli novem enunciata continet; quæ ſingula ordine indicabimus, & testimoniis ſcripturæ confirmabimus, 1. Deus pater eſt æternus pater Domini noſtri Jeſu Chriſti: Matth. 3. v. 17. Epheſ. 1. v. 3. 2. Deus pater cœlum & terram & omnia quæ in iis ſunt, ex nihilo creavit. Gen. 1. verſ. 1. Matth. 11. v. 25. 3. Deus pater omnia à ſe creata, æterno ſuo conſilio & providentia ſuſtentat ac gubernat: Act. 17. v. 28. Matth. 10. v. 39. 4. Deus pater,



propter Christum, credentium quoque Deus & pater est: *Matth. 6. v. 32. Rom. 8. v. 16. Ephes. 1. v. 5.* 5. Deus pater providet omnibus tum animo tum corpori nostro necessariis: *Matth. 6. v. 25. Eph. 1. v. 3.* 6. Deus pater credentibus immittit mala in hac vita, *Amos 3. v. 6. Esai. 45. v. 7. 1. Cor. 11. v. 32.* 7. Deus pater mala quæ credentibus accidunt, convertit in salutem ipsorum: *Rom. 8. v. 28.* 8. Deus pater potest salvare credentes, cum sit omnipotens: *Gen. 17. v. 1.* 9. Deus pater vult salvare credentes, cum sit benignus ipsorum pater: *Matth. 6. v. 32.*

## XXVII. QUÆSTIO.

*Quid est providentia Dei?*

Omnipotens & ubique præsens Dei vis *a*, qua cœlum & terram, cum omnibus creaturis, tanquam manu sustinet ac gubernat *b*: ut quæ terrâ nascuntur, pluvia item & siccitas, fertilitas & sterilitas, cibus & potus *c*, bona & adversa valetudo *d*, divitiæ & paupertas *e*, omnia denique non temere aut fortitò, sed paterno ejus consilio & voluntate contingant.

*a Act. 17. 25. &c. b Hebr. 1. 2. 3. c Jer. 5. 24. Act. 14. 17. d Job. 9. 3. e Prov. 20. 2.*

Ex-



Traditur hęc descriptio providentię Dei, ę subje-  
ctis occupantibus seu objectis. Enumerantur enim  
aliquot genera rerum circa quę providentia Dei ver-  
satur, quę vulgõ putantur fieri fortuitõ, id est, guber-  
nari seu potius temerẽ agi à fortuna, quam finxerunt  
deam, quę temerẽ ac sine ratione gubernet res hu-  
manas, distribuens inter homines bona & mala, tri-  
buens sæpẽ bonis mala, & malis bona. Itaque hanc  
pinxerunt cęcã; quõd non videat, qui sint boni,  
qui mali. Item dixerunt esse brutã, carere ratione,  
& esse iniquã. Quę totidem sunt blasphemię, quas  
diabolus sub nomine fortunę in Deum verum ex-  
puit. Certum enim est, Deum esse illum, qui sæpe bo-  
nis mala, malis bona tribuit in hac vita, cum tamen  
sit sapientissimus & justissimus. Nec immeritõ pœni-  
tuit Augustinum, toties usum esse vocabulo fortunę,  
licet non intellexerit Deum, quia piis abstinendum  
est etiam à specie mali, Paul. *1. Thess. 5. v. 22.* Qui au-  
tem dicit aliquid factum esse fortuitõ, ejus sermo ha-  
bet speciem mali, quatenus videtur credere fortu-  
nam. Etenim fortuitõ fieri nihil aliud est, quam fieri  
fortuito casu, id est, tali quem gubernaverit fortuna.  
At cum fortuna nihil sit, nullus etiam casus esse for-  
tuitus potest: sed omnes casus divini sunt, hoc est, di-  
vinã providentiã contingunt. Nec est ut aliquis dicat,  
se hoc tantum intelligere, evenisse sibi aliquid fortui-  
tõ, hoc est, præter expectationem ac spem suam: hæc  
enim non æquipollent, nam multa quidem eveniunt  
præter nostram spem, at nihil evenit fortuitõ. Quare



tales retineant mentem, emendent verò linguam. Nobis Christianis dicendum est, *Factum est providentiâ Dei*, non autem fortuitò. Item, *Si Deus volet*, ut monet Jacobus: non autem, *Si fortuna valet*, ut loquitur Ovidius.

Cæterùm providentiæ vocabulum duo completitur, præscientiam, & rerum præscitarum curam ac destinationem. Deus enim non solùm præscit quæcunq; eventura sunt, sed etiam operum suorum, maximè hominum, & inter hos maximè piorum curam gerit, ac proinde actiones singulas rerum singularum ita regit & gubernat, ut eas ad destinatum finem suæ gloriæ & salutis electorum dirigat, flectat, inclinet. Ita providentiâ Dei nõ tam oculorum, quàm manuum est. Sicut gubernator navis, non solùm prospicit tempestates, sed etiam clavum tenens, ita navem gubernat, ut, quantum in ipso est, tempestatis vim declinet atque evitet: ita Deus non solùm prospicit calamitates, piis imminentes, sed etiam ita actiones hostium gubernat, ut non possint pios impedire, quin salvi ad portum cælestis patriæ perveniant. Porrò Deum suâ providentiâ conservare singulas mundi partes, & gubernare singulos singularum mundi partium motus, liquet ex his scripturæ testimoniis, *Hebr. 1. v. 3. Joh. 5. v. 14. Matth. 10. v. 29.*

*Proverb. 16. v. ult. Exod. 21.*

*v. 13. &c.*

Quæ



## XXVIII. QUÆSTIO

*Quid nobis prodest hæc cognitio creationis & providentiæ divinæ?*

Ut in adversis patientes *a*, in secundis gratissimus *b*, in futurum verò optimam in Deo fidissimo patre spem repositam habeamus *c*, certò scientes, nihil esse, quod nos ab ejus amore abstrahat *d*; quandoquidem omnes creaturæ ita sunt in ejus potestate, ut sine ejus arbitrio non modò nihil agere, sed ne moveri quidem possint *e*.

*a* Rom. 5. 3. Jac. 1. 3. Job. 1. 21. *b* Deut. 8. 10. 1. Thess. 3. 18. *c* Roman. 5. 4. 5. 6. *d* Rom. 8. 38. 39. *e* Job. 1. 12. & 2. 6. Prov. 21. 1. Act. 17. 25. 28.

## E X P L I C A T I O.

Exponitur hîc triplex utilitas seu fructus doctrinæ de providentiâ jam traditæ. Utilis enim illa est 1. ad patientiam 2. ad gratiarum actionem 3. ad animi securitatem sive tranquillitatem. Ac primùm Patientiam in nobis gignit consideratio & fides providentiæ Dei, quia scimus Deum immittere nobis mala, non ut perdat, sed ad bonum, *Roman. 8. v. 28. 1. Corinth. 11. v. 32.* Sic Joseph patienter tulit injuriam sibi à fratribus illatam *Gen. 45. v. 4. & c. 50. v. 19.* Sic David patienter tulit maledicta Semei *2. Sam. 16. v. 11.*

C



Sic Job patienter tulit spoliationem Chaldæorum, item amissionem liberorum per tempestatem *Job. 1. v. 21.* Sic denique Christus patienter tulit mortem *Matth. 26. v. 39. & 52. Luc. 22. v. 53. c. 23. v. 34.* Secundo gratiarum actionem in nobis gignit consideratio providentiæ Dei, quia scimus Deum inclinare animos & actiones hominum, ut nobis benè velint ac benè faciant, *Gen. 32. v. 6. collato cum cap. 33.* Item *Gen. 30. v. 4. & 21.* Item rebus inanimis vim inspirare, ut nobis utiles esse possint, *Luc. 12. v. 15. Lev. 26. v. 26. Esai. 3. v. 1. Haggai 1. v. 6. 1. Reg. 19. v. 8.* Sic servus Abrahæ gratias egit Deo, quod ipsum duxisset ad cognatos sui heri, *Gen. 24. v. 27.* Sic ipse Laban & Bethuel agnoscunt, singulari providentiâ Dei conciliari istas nuptias Isaaci cum Rebecca, *ibid. v. 50.* Sic Joseph invenit gratiam in oculis heri, *Genes. 39. v. 4. & 21.* Sic Dominus Israëlitis dedit gratiam coram Ægyptiis, qui aliâs eos oderant, *Exod. 3. v. 21. & c. 12. v. 35. 36.* Porro spei ex providentiæ consideratione ortæ exemplum habemus in Davide: qui sperabat maledicta Semei sibi cessura in bonum, *2. Sam. 16. 12.* Sic idem David sperabat se victurum Goliathum, quia recordabatur providentiæ Dei, qua ereptus fuerat ab ursæ & leonis ore. *1. Sam. 12. 36.* Sic Paulus. *2. Tim. 4. v. 17. 18.* ait se ereptum fuisse ex ore leonis, id est, Neronis; & addit, Dominum se porro quoque erepturum ab omni malo, servaturumque in regnum suum celeste. Postremò hanc doctrinæ adjicienda ista admonitio, ita nos confidere debere providentiæ Dei, ut tamen



tamen media, si ad manum sint, non contemnamus, sed iis reverenter, & in timore Domini tanquam providentiæ divinæ instrumentis utamur, non ut fiduciam in illis collocemus, sed ne tentemus Dominum. Hoc docet Christus *Matth. 4.* Cùm enim diabolus allegaret Dei providentiam ad persuadendum ei, ut se præcipitem daret è pinnis templi, quia Deus mandasset angelis suis de ipso, ut manibus eum gestarent: Respondit Dominus, Rursum scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum. Sic Paulus *Act. 27. v. 21.* ait, oportebat quidem, ô viri, mihi obediendo non procehi à Creta, & vitare injuriam hanc & damnum. Item *v. 30. & 31.* Et tamen *v. 22.* prædixerat, Jactura nulla erit, &c. astitit enim mihi hac nocte Angelus Dei.

## XXIX. QUÆSTIO.

## DE FILIO.

*Quare Filius Dei appellatur Jesus, hoc est, Salvator?*

Quia nos salvat ab omnibus peccatis nostris *a*: Nec ulla salus aliunde peti debet, nec alibi reperiri potest *b*.

*a Matth. 1. 21. Heb. 7. 25. b Act. 4. 12.*

## EXPLICATIO.

Sequitur deinceps explicatio articuli secundi, qui



est, *Et in Jesum Christum filium ejus unigenitum Dominum nostrum.* Articulus hic quatuor constat membris, quæ singula diversis quæstionibus declarantur, & hac quæstione declaratur primum membrum, videlicet nomen *Jesus*. Cujus notatio indicatur, sumpta ab effectu, ubi notandum vocem *Jesus* esse Hebraicam, qua significatur servator. Hebraicè effertur *Jeschuah* à verbo  $\text{יָשׁוּעַ}$  - quod significat servare, eripere. Est autem ei synonymum nomen *Josuah*. Et quidem Josuah dux ille populi Dei, ac successor Moysis, Domini Jesu servatoris nostri typus fuit. Sicut enim Josuah populum Dei carnalem introduxit in terram promissam Canaan, fluentem lacte & melle, typum cæli & vitæ æternæ: ita Christus populum Dei spirituales, id est, Ecclesiam electorum Dei introduxit in cælum. Porro notatio proposita nititur testimonio divino Angeli, quod extat *Matth. 1. v. 21.* Hoc autem nomen soli Christo verè convenire, hoc est, Christum solum salutem æternam nobis conferre, liquet his testimoniis. *Act. 4. v. 12. Esai. 63. v. 3. Rom. 3. v. 28. ad Gal. 2. v. 26. & 21. 1. Tim. 2. v. 5.*

## XXX. QUÆSTIO.

*Creduntne igitur illi in unicum servatorem Jesum, qui à sanctis, aut à se, aut aliunde felicitatem aut salutem querunt?*

Non: Etsi enim verbo quidem eo Servatore gloriantur, re ipsâ tamen abnegant unicum



cum Servatorem Jesum *a*, Necessè est enim, aut Jesum non esse perfectum Servatorem, aut qui eum Servatorem verâ fide amplectuntur, eos omnia in ipso possidere, quæ ad salutem requiruntur *b*.

*a* 1. Corinth. 13. 31. Gal. 5. 4. *b* Heb. 12. 2. Jes. 9. 6. Col. 1. 19. 20. & 2. 10. Job. 1. 16.

## E X P L I C A T I O.

Ex præcedente doctrina nominis Jesu deducitur Elenchus, id est, redargutio erroris Papistici de modo consequendi salutem, ac demonstratur Papistas non verè credere in Jesum Christum, sed eum abnegare. Syllogismus ita formari potest:

*Qui verè credunt in Christum, ii credunt solum esse Jesum, id est, servatorem.*

*At Papista hoc non credunt.*

*Ergo nec illud.*

Assumptio probatur sic: Qui credunt Christum solum esse servatorem, ii credunt, se omnia in ipso possidere, quæ ad salutem necessaria sunt. At hoc Papistæ non credunt, quia quærunt salutem etiam à sanctis, & à seipsis, videl. suis bonis operibus, Ergò nec illud credunt. In textu tamen continetur syllogismus disjunctus primi modi.

*Aut Jesus non est perfectus servator, aut omnia ad salutem pertinentia in ipso reperiuntur.*



*At secundum Papistas non omnia ad salutem pertinentia in Jesu reperiuntur.*

*Ergò secundum Papistas, Jesus non est perfectus servator.*

X X X I. Q U Æ T S I O.

*Quare appellatur Christus, hoc est, unctus?*

Quòd à Patre ordinatus, & Spiritu sancto unctus sit *a* summus Propheta ac Doctor *b*, qui nobis arcanum consilium & omnem voluntatem Patris, de redemptione nostri patefecit *c*: & summus Pontifex *d*, qui nos unico sacrificio sui corporis redemit, ac assidue pro nobis apud Patrem intercedit *e*: & Rex, qui nos suo verbo & spiritu gubernat, & partam nobis salutem tuetur ac conservat *f*.

*a Psal. 45. 8. Hebr. 1. 9. b Deuter. 18. 15. Actor. 3. 22. c Johan. 1. 18. & 15. 15. d Psal. 110. 4. Hebr. 7. 21. & 10. 12. e Rom. 8. 34. & 5. 9. 10. f Psal. 2. 6. Luc. 1. 33. Matth. 28. 18. Joh. 10. 28.*

E X P L I C A T I O.

Quæstione hæc declaratur secundum membrum articuli propositi videlicet nomen *Christus*; cujus notatio exponitur à fine triplici, id est, à triplici officio, ad quod Christus à patre destinatus, & Sp. S. tâquam oleo læticiæ unctus fuit & consecratus, videlicet of-  
ficio



ficio *Prophetae* seu *Doctoris*, & *summi Sacerdotis* & *Regis*. Nam nomen *משׁיח* latinè significat unctum, qui Hebraicè dicitur *Moschiab*, vulgo *Messias*, à verbo *Mascháb*, id est, *unxit*. Et hoc nomine appellabantur in populo Dei Reges, idque ex re ipsâ. Ungebantur enim pretiosissimo quodam unguento, ex mandato Dei, cum publicè consecrabantur & populo sistebantur, ut legitur de Saule *1. Sam. 10. v. 1.* item de Davide *1. Sam. 16. v. 13.* & *2. Sam. 2. v. 4.* Itē de Salomone *1. Reg. 1. v. 39.* Similiter unctioe cōsecrabantur, & ad suum munus initiabantur summi sacerdotes: ut legitur de Aarone *Lev. 8. v. 12.* & de filiis eius *Exo. 40. v. 15. 16.* De Prophetis verò nō reperitur quod fuerit moris, ut unctioe ad munus suum consecrarentur. Nam quod narratur de unctioe Elisæi *1. Reg. 19. v. 16.* non nisi de vocatione eius intelligendum est. Vide Exegesin meam ad loci X. aphorismum sextū. quod haud dubiè factum fuit, ut etiam hac in parte typus aliquis exstaret Christi, tanquam summi Prophetae & Doctoris Ecclesiae extrâ ordinem à Deo missi. Cæterum officio Prophetae functus est Dominus noster Jesus Christus, cum in Galilæa & Judæa per quatuor circiter annos Evangelium prædicavit. Deinde sub vitæ suæ finem functus est parte prioris officii sacerdotalis, cum se ipsum in altari crucis obtulit Deo patri ad expiandum peccata populi Dei, id est, electorum. Posteriore verò parte officii sacerdotalis fungi cœpit, cum ascendisset in cœlum, ubi coram facie patris continenter pro Ecclesia apparet



& interpellat, ostendens nimirum patri corpus suum, quod pro nobis obtulit, sicut olim summus sacerdos in festo expiationis sanguinem hirci pro populo Dei oblatus in pelvi inferebat in sanctum sanctorum, & coram arca federis consistens, pro populo oravit *Lev. 17.* Postremò officii regii specimina quædam edidit Dominus in terra, ut cum puer liberiùs objurgavit matrem *Luc. 2.* Cum ejecit dæmonia propriâ virtute, mortuos in vitam revocavit, templum repurgavit, & denique mortem in se ipso devicit tertio die resurgens. Postea vero quàm ascendisset in cœlum, consedit ad dextram Dei patris, & ex illo tempore jam plenè dominatur in hostes suos, & populi sui; quos in suo judicio planè est aboliturus. Porro de officio Christi Prophetico vide hæc scripturæ testimonia. *Deut. 18. v. 15. Act. 3. v. 22. Matth. 4. v. 17. Joh. 1. v. 18. c. 15. v. 15. c. 20. v. 21, Heb. 1. v. 1. c. 2. v. 3. c. 3. v. 1.* De sacerdotio *Psal. 110. v. 4. Heb. 7. v. 8. 9. 10.* De officio regio *Psal. 2. v. 6. Luc. 1. v. 33. Act. 4. v. 24. &c.*

## XXXII. QUÆSTIO.

*Cur verò tu Christianus appellaris?*

Quòd per fidem, membrum sum Jesu Christi *a*, & unctionis ipsius particeps *b*, ut & nomem ejus confitear *c*, meque sistam ipsi vivam gratitudinis hostiam *d*, & in hac vita, contra peccatum & Satanam, libera & bona

con-



conscientia pugnem, & postea æternum cum Christo regnum in omnes creaturas teneam e.

a *Act. 11. 26. 1. Corinth. 6. 15.* b *1. Job. 2. 27. Jes. 59. 21. Act. 2. 17. Joël. 2. 28.* c *Marc. 8. 38. d Roman. 12. 1. Apoc. 5. 8. 10. 1. Pet. 2. 9. 2. Tim. 2. 12. Roman. 6. 12. 13. Apoc. 1. 6. e 1. Tim. 1. 18. 19.*

## E X P L I C A T I O.

Exponitur hîc ex occasione nominum conjugatorum, ratio nominis Christiani, quæ ratio sumitur ex adjuncta fide, quâ creditur in Christum. Hæc autem fides declaratur ex effectu, videlicet communione cum Christo in donis Spiritus S. Illaque communio illustratur similitudine membrorum corporis humani collatorum cum capite. Christus enim comparatur capiti: singuli Christiani seu fideles membris. Porrò hic effectus illustratur distributione trimembri. Enumerantur enim tria officia hominis Christiani, quæ cum Christo communia aliquo modo habet, quæ tribus illis officiis Christi sunt similia. Primum officium, Prophetæ, est confessio Christi, de qua *Marc. 8. v. 38.* Secundum sacerdotis, est mortificatio carnis, & studium gratitudinis, videlicet pietatis; de quo *Rom. 12. v. 1.* Tertium officium regis, est pugna spiritualis, cum cupiditatibus carnis: de qua habetur *Eph. 6. v. 10. &c.* Item dominatio in omnes creaturas in altero seculo, de qua habetur *2. Tim. 2. v. 12. Apoc. 2. v. 26. Item c. 3. v. 21.*



*Quam ob causam Christus vocatur Filius Dei  
unigenitus, cum nos quoque simus  
Filii Dei?*

Quia solus Christus est coæternus & naturalis æterni Patris Filius *a*: Nos autem, propter eum, ex gratia, à Patre adoptati sumus *b*.

*a Johan. 1. 14. 18 Heb. 1. 2. b Rom. 8. 15. Eph. 1. 6.*

## E X P L I C A T I O.

Declaratur hîc epitheton *Unigeniti* ex fine; qui est, ut discernatur Christus à sanctis, qui sunt & ipsi quidem filii Dei, sed non ut Christus naturales, & ejusdem substantiæ cum Deo, sed adoptivi. Hujus adoptionis causa efficiens exponitur, una principalis; quæ est *gratia Dei patris*: altera *περὸν ἡμεῶν*, quæ est *Christus*, hoc est, *meritum Christi*, vide *Rom. 8. v. 15. Eph. 1. v. 5. 6. Gal. 4. v. 4. 5.*

## XXXIV. QUÆSTIO.

*Qua de causa appellas eum dominum  
nostrum?*

Quia corpus & animam nostram à peccatis, non auro, nec argento, sed pretioso suo



suosanguine redimens, & ab omnipotestate  
Diaboli liberans, nos sibi proprios vindica-  
vit b.

a 1. Pet. 1. 18. 19. & 2. 9. 1. Cor. 6. 20. & 7. 23.

## E X P L I C A T I O.

Christum esse *Dominum nostrum*, probatur hîc à  
causa efficiente videl. modo acquirendi dominii, qui  
dicitur emptio. Eaque causa declaratur per speciem  
quæ nominatur redemptio. Item illustratur distribu-  
tione objecti. Homo enim fidelis quem Christus re-  
demt dividitur in corpus & animam. Deinde causa  
instrumentali, videlicet pretio, quod est Christi redi-  
mentis sanguis, nempe quatenus in cruce pro fide-  
libus effusus est, cum sensu iræ Dei. Hæc autem cau-  
sa instrumentalis illustratur antithesi, id est, opposi-  
tione quæ est disparatorum, eâdemque operâ ampli-  
ficatur collatione imparium, idque ex testimonio  
Petri. Præterea declaratur illa redemptio ex effectu  
quod est liberatio à peccatis & potestate Diaboli.  
Nam propter peccatum eramus sub potestate Dia-  
boli. Christus autem noster Dominus & Redem-  
ptor suâ morte nobis meruit remissionem peccato-  
rum, & ita à peccatis nos liberando, simul libe-  
ravit à potestate Dia-  
boli.



*Quid credis cùm dicis: Conceptus est per Spiritum sanctum, natus ex Maria virgine?*

Quòd ipse Filius DEI, qui est *a*, & permanet verus ac æternus Deus *b*, naturam verè humanam ex carne & sanguine virginis Mariæ *c*, operatione Spiritus sancti assumptit *d*, ut simul sit verum semen Davidis *e*, fratribus suis per omnia similis *f*, excepto peccato *g*.

*a* *Joh. 1. 1. & 17. 5. Rom. 1. 4.* *b* *Rom. 9. 5.* *c* *Joh. 1. 14. Gal. 4. 4.* *d* *Matth. 1. 18. 20. Luc. 1. 38.* *e* *Psal. 132. 11. Rom. 1. 3.* *f* *Phil. 2. 7.* *g* *Hebr. 4. 15. & 7. 26.*

## E X P L I C A T I O.

Sequentibus duabus quæstionibus explicatur mysterium incarnationis filii Dei. Hujus incarnationis sunt duæ partes, *Conceptio & Nativitas*. Explicantur autem hujus incarnationis causæ. I. Materia ex qua caro Christi generata est. Ea fuit caro & sanguis virginis Mariæ, ut testantur hæc loca: *Luc. 1. v. 35. & 42. Galat. 4. v. 4. Heb. 2. v. 16.* Secundò efficiens sociæ causa fuit Spiritus sanctus, qui unà cum patre & filio carnem quæ à filio assumebatur creavit. *Luc. 1. v. 35. Heb. 10. v. 5. c. 2. v. 16.* Tertio forma, videlicet assumptio. nam verbum caro factum est assumendo semen Abrahæ *Heb. 2. v. 16.* Quartò finis, ut scil. satisfaceret pro-



promissioni Domini factæ Davidi, quod Christus ex ipsius semine homo nasciturus esset 2. Sam. 7. v. 12. Item 1. Reg. 8. v. 25. Item, ut sine peccato nasceretur Heb. 4. v. 15. Luc. 1. v. 35.

## XXXVI. QUÆSTIO.

*Quem fructum percipis ex sancta conceptione & nativitate Christi?*

Quòd is noster sit Mediator *a*, & sua innocentia, ac perfecta sanctitate, mea peccata, in quibus conceptus sum, tegat, ne in conspectum Dei veniant *b*.

*a* Heb. 2. 16. 17. *b* Psal. 32. 1. 1. Cor. 1. 30.

## E X P L I C A T I O.

Exponitur hîc finis atque idem effectum incarnationis filii Dei, quod est officium Mediatoris. Ad hoc enim efficiendum necesse erat, ut filius Dei fieret homo, & quidem sanctus homo, sicut latius expositum est suprâ ad *quest. 16. & 17.* Sed enim duo hîc corrigenda occurrunt; unum, quod dicitur, *nos conceptos in peccatis* numero plurali, cum scriptura hâc de re loquens utatur numero singulari, *Psal. 51. v. 7.* Et hoc res ipsa postulat, quia sermo est de uno quodam peccato, videlicet de peccato originali. Alterum est, quòd sanctæ conceptioni Christi, sive sanctitati conceptionis & naturæ humanæ Christi, tanquam proprium effectum adscribitur remissio peccati origina-



lis; cùm tamen scriptura remissionem peccatorum absque ulla exceptione aut distinctione ascribat soli passioni Christi, ut docent hæc scripturæ dicta. *1. Johan. 1. v. 7. Matth. 20. v. 28. Hebr. 2. v. 14. c. 9. v. 22. Johan. 1. v. 29. 1. Pet. 1. v. 10. Luc. 22. v. 20. Matth. 26. v. 28. Gal. 3. v. 13. 1. Petr. 2. v. 24. 1. Pet. 3. v. 18. Rom. 13. v. 24. Ad Titum 2. v. 14.* Cæterùm genuinus fructus sanctæ conceptionis, & inde consecutæ sanctæ naturæ & sanctæ vitæ Christi hic est, quòd Christus effectus est pro nobis sanctus sacerdos, sancta victima, & sanctitate victimæ peccata nostra omnia expiavit; ut percipitur ex *Hebr. 7. v. 26. 27. & 1. Pet. 1. v. 18. & 19.*

### X X X V I I . Q U Æ S T I O .

*Quid credis cùm dicis: Passus est?*

Eum toto quidem vitæ suæ tempore, quo in terris egit, præcipuè verò in ejus extremo, iram Dei adversus peccatum universi generis humani, corpore & anima sustinuisse *a*, ut sua passione tanquam unico sacrificio propitiatorio *b*, corpus & animam nostram ab æterna damnatione liberaret, & nobis gratiam Dei, justitiam & vitam æternam acquireret.

*a 1. Pet. 2. 24. & 3. 18. Jes. 53. 12. b 1. Joh. 2. 2. & 4. 10. Rom. 3. 25.*

Ex-



## E X P L I C A T I O.

Declaratur hinc articulus de passione Domini,  
1. distributione ex adjuncto tempore, quod nimirum passus sit quædam ab articulo conceptionis, quædam in extremo suæ vitæ; & illæ partes inter se comparantur collatione imparium, quatenus extrema illa passio cæteris, tanquam ad salutem nostram efficacior, anteponitur. 2. Expositione causarum efficientium, quarum una alteram procreat, nempe peccatum iram Dei. 3. Distributione è subjectis recipientibus in se, quod nimirum passus sit, partim in corpore, partim in anima. 4. Expositione finium, qui in genere ponuntur duo, Unus liberatio nostri à malo: alter, acquisitio donorum cælestium quæ enumerantur tria, *gratia Dei, justitia & vita æterna*. Ubi occurrunt duo quædam, quæ egent correctione, & unum quod indiget commoda explicatione. Et commoda quidem explicatione indiget, quod hinc dicitur Christus iram Dei adversus peccatum universi generis humani sustinuisse. Id enim ut veritas ejus constet, intelligendum est eo modo, quo intelligitur dictum Apostoli *Job. 1. c. 2.* Ipse est propitiatio pro peccatis totius mundi, quod intelligendum est de electis totius mundi. Item hoc intelligendum de electis totius generis humani. nam pro his solis, non autem pro singulis hominibus mortuum esse Christum, multis scripturæ dictis demonstravimus *suprà ad quest. 20.*



Cæterùm correctione indiget illud primum quod articulus ille (*Passus sub Pontio Pilato*) hîc exponitur de omnibus & quibuslibet perpeffionibus Christi, cùm tamen propriè loquatur de supplicio quod sustinuit ex sententia judicis Pilati. Alterum est quod expiatio nostrorũ peccatorum & reliqua effecta quæ inde dependent ascribuntur non solùm morti Christi, sed etiam reliquis ejus perpeffionibus, cùm tamen in scriptura secus fiat, sicut modò ad quæstionem præcedentem ostendimus. Si quæris, quis igitur usus cæterarum perpeffionum Christi? Resp. Is ex scriptura duplex ostendi potest; Unus est, ut Christus tanquam fidelis Pontifex possit nobis succurrere, ut monet Apostolus *Heb. 2. v. 18. & 4 v. 15.* Alter usus est, ut relinqueret nobis exemplar, ut monet Petrus *1. Epist. 2. v. 21.*

## XXXVIII. QUÆSTIO.

*Quid cause fuit cur sub judice Pilato pateretur?*

Ut innocens coram judice politico damnatus *a*, nos à severo Dei judicio quod omnes manebat, eximeret *b*.

*a Luc. 23. 13. 14. 15. Johan. 19. 4. Act. 3. 14. b Psal. 69. 5. Jes. 53. 4. & 5. 2. Cor. 5. 21. Gal. 3. 13. 14.*

## E X P L I C A T I O.

Exponitur hîc finis damnationis Domini factæ à Pilato



Pilato, id est, cujus rei gratiâ Deus ita voluerit Dominum damnari. Affertur autem hæc causa, ut liberaret nos à severo Dei iudicio; id quod simpliciter intellectum, admitti non potest, I. Quia Christus à severo Dei iudicio nulla re alia nos liberavit, quàm morte sua, & quidem quatenus illa conjuncta fuit cum sensu iræ Dei. Interim tamen damnatio illa Pilati viam huic rei stravit. Oportuit enim Dominum iram Dei & maledictionem propter nostra peccata sentire in cruce, tanquam simbolo maledictionis, sicut sequenti quæstione declaratur. Nam mors crucis maledicta à Deo erat.

## XXXIX. QUÆSTIO.

*Est verò quiddam amplius, quòd affixus sit cruci, quàm si alio genere mortis affectus esset?*

Sanè amplius: Ex hac enim re sum certus, eum maledictionem, quæ mihi incumberebat, in se recipisse: nam mors crucis à Deo erat maledicta <sup>a</sup>.

<sup>a</sup> Deut. 22. 23. Gal. 3. 13.

## E X P L I C A T I O.

Exponitur hîc finis crucifixionis Christi, hoc est, cujus rei gratiâ Deus voluerit Christum crucifigi. Is finis est testificatio de translata à credentibus in Christum maledictione, hoc est, sensu iræ Dei pro-



pter violatam ejus legem. Testificatio autem illa constat relatione symboli sive signi ad rem significatam, videlicet crucifixionis ad maledictionem. Nam crucifixio ex institutione sive ordinatione Dei erat symbolum maledictionis, ita scil. ut Deus crucifixos vellet haberi pro maledictis sive execrabilibus juxta illud: *Suspensus execrationi est Deo Deut. 21. v. 23.* Unde etiam præceperat ne cadaver suspensi in cruce diu relinquerent, sed ut eodem die illud sepelirent: quasi scil. Deus è cælis prospiciens, non possit cadaver crucifixi, tanquam rem abominabilem intueri, ac proinde velit ipsum è conspectu suo removeri. Hæc testificatio concludi potest tali Syllogismo:

*Cui competit Symbolum, ei competit res significata.*

*Atqui Christo convenit, videlicet ex Dei ordinatione, symbolum maledictionis, nempe crucifixio.*

*Ergò eidem competit res symbolo significata, nempe ipsa maledictio.*

Sive ut idem aliis verbis cum Apostolo concludamus:

*Qui pendet in ligno, maledictus seu execrabilis est. Christus pependit in ligno.*

*Fuit ergò maledictus.*

Certum est autem non fuisse Deo Christum execrabilem in sese, seu propter sua ipsius peccata, cum fuerit sanctissimus: ergò talis fuit pro nobis seu propter nostra peccata, quæ in se susceperat luenda tanquam



quam sponsor. At contra Syllogismi nostri propositionem opponat aliquis exemplum latronis cum Christo crucifixi, qui ab illo adeptus est testimonium benedictionis, dicente, *Hodie mecum eris in Paradiso.* Resp. Id factum est ex accidente, quia scilicet Deus illius misertus, fide Christi eum donavit, ac proinde reatum & maledictionem ab eo sustulit. Per se autem ille Deo execrabilis, propter admissam homicidii scelus, propter quod jure cruci affixus est. Nam hoc quoque tenendum est, propositionem loqui de eo, qui jure ligno suspenditur. Etenim Martyres sancti contra jus crucibus affixi, non fuerunt pro maledictis habendi. Si quis excipiat, contra jus Christum cruci esse affixum, quippe qui ipsius judicis ore innocens fuerit pronunciatus ac proinde non fuisse pro maledicto habendum. Respond. Per distinctionem: Sanè quod ad notitiam hominum & mandatam à Deo juris administrationem attinet, non potuit Christus jure ad crucem damnari, crucique affigi; quia nota erat judici ipsius innocentia, & innocentes Deus damnari supplicioque affici vetuit. Sed quantum attinet ad arcanum mandatum Dei & arcanam sponsonem Christi, jure fuit damnatus & crucifixus, quia Deus illi mandaverat, ut fieret victima pro electis, & ipse sponsonerat se id facturum, id est, se suo sacrificio in ara crucis peragendo pro peccatis electorum satisfacturum.



*Cur necesse fuit, ad Christum t̄d mortem usque  
se demitteret?*

Propterea quòd justitiæ & veritati Dei a  
nullo alio pacto pro nostris peccatis potuit  
satisfieri, quàm ipsa morte Filii Dei b.

a *Genes. 2. 17.* b *Hebr. 2. 9. 14. & 15. Phil. 2. 8.*

## E X P L I C A T I O.

Exponuntur hîc duo fines mortis Christi, hoc est,  
cujus rei causâ Deus voluerit Christum mori. Unus  
fines est *ut satisfaceret justitiæ Dei*: alter, *ut satisfacere*  
*ret veritati Dei*. De priori fine sic habendum: Justitia  
Dei postulat, ut homo qui ipsum offendit, è medio  
tollatur: Ergò Christum tanquam electorum homi-  
num sponsorem è medio tolli oportuit pro illis, tan-  
quam indignum scil. qui hanc lucem aspiceret, & in  
conspectum Dei veniret. Ad posteriorem finem quod  
attinet; sciendum, Deum minatum esse homini mor-  
tem, si mandatum ejus transgrederetur. *Gen. 2. v. 17.*  
Itaque Christum tanquam electorum hominum  
sponsorem & satisfactorem mori pro illis oportuit, ut  
illi comminationi sua veritas constaret, seu ut Deus  
in illa comminatione verax comperiretur. Cæterùm  
ut hic uterque finis rectè intelligatur; observandum,  
justitiæ Dei peccatis hominum offensi non satis fieri  
sola morte corporis seu temporali, sed insuper requiri  
mortem æternam, in anima simul & corpore; itemq;  
com-



comminationem illam mortis in paradiso factam, intelligendam esse, non de sola morte corporis, sed etiam de morte æterna. Itaque Christum sua morte pro nobis Deo satisfacisse, quatenus mors ejus conjuncta fuit cum morte æterna, hoc est, cum sensu iræ Dei. Hunc enim sensum ille pro nobis sustinuit ad tempus, qui nobis sustinendus fuisset in æternum, & sustinendo illum ad tempus, satisfacit pro nobis justitiæ Dei; quia temporalis ille sensus in Christo æquivalet æterno in nobis, propter dignitatem personæ ipsius, quæ æterna est, videlicet æternus atq; unigenitus filius Dei. Unde scriptura dicit, nos redemptos esse, & à morte æternâ liberatos sanguine filii Dei *1. Joh. 1. v. 7. Heb. 2. v. 14. 15.* atque ad eò sanguine Dei, *Act. 20. v. 28.*

## XLI. QUÆSTIO.

*Quare etiam sepultus est?*

Ut eo testatum faceret, se verè mortuum esse *a.*

*a Act. 13. 29. Matth. 27. 60. Luc. 23. 53. Johan. 10. 38. Act. 13. 29.*

## EXPLICATIO.

Exponitur finis sepulturæ Christi, hoc est, cur Deus voluerit Christum sepeliri. Is finis est testificatio de morte ipsius, quia scil. constat, non fuisse moris apud Judæos, ut sepelirentur crucifixi, antequam essent mortui. Unde etiam habetur in historia passio-



nis Domini, latronibus cum Christo crucifixis, sub occasum solis fracta fuisse crura, ut ex illo cruciatu mox morerentur, & mox sepelirentur; quæ etiam causa fuit, cur Christo crura non fregerint, quia videbant Christum expirasse.

Cæterum articulus, *Sepultus est*, potest intelligi de funeratione Judæis usitata, de qua narratur *Johan. 19. v. 40.* quòd scilicet Josephus Arimathæensis, & Nicodemus obvinxerunt corpus Jesu linteis & aromatis, ut ita illud præpararent ad sepeliendum, id est, in sepulcrum recondendum. Et tunc articulus proxime sequens. *Descendit ad inferos*, intelligendus erit de sepultura, qua corpus Christi sepulcro reconditum est: Si verò articulus, *sepultus est*, intelligatur de ipsa positione Domini in sepulcro, tum alter ille articulus erit intelligendus, ut postea dicetur.

#### XLII. QUÆSTIO.

*At cum Christus pro nobis mortem optetierit, cur nobis quoque est moriendum?*

Mors nostra non est pro peccatis nostris satisfactio, sed peccati abolitio, & transitus in vitam æternam *a.*

*a Johan. 5. 24. Philip. 1. 23. Roman. 7. 24.*

Ex-



## E X P L I C A T I O.

Continetur hîc objectio contra doctrinam propositam de morte Christi:

*Si Christus pro nobis mortuus est, nobis non erit moriendum.*

*At nobis erit moriendum.*

*Videtur igitur Christum non pro nobis esse mortuum.*

Respondetur per distinctionem finium mortis, qui enumerantur tres, *Satisfactio pro peccatis, Abolitio peccati & Transitus in vitam aeternam.* E quibus primus de morte nostra negatur, reliqui duo de eadem affirmantur. Formalis responsio hæc est: *Ασυμμοσιον* esse propter homonymian argumēti seu medii, quod in propositione intelligitur de morte æterna, id est, de sensu iræ Dei seu cruciatuum infernalium (secus enim illa erit falsa) In assumptione verò de morte corporali, hoc est, de emigratione animæ ex corpore. Quod ut plenius intelligatur, sic habendum. Quum dicitur *Christum pro nobis mortuum esse*, hoc non est intelligendum simpliciter, & per se de morte corporali, seu emigratione animæ ex corpore, sed secundum quid & per accidens, quatenus scilicet mors Christi corporalis causata fuit ex sensu iræ Dei seu cruciatuum infernalium in anima & corpore, quem sensum Christus pro nobis ut sponsor sustinuit, atq; ita pro peccatis nostris satisfecit. Quare cum Christus hoc modo pro nobis mortuus sit: sequitur non



esse nobis hoc modo moriendum, ut scilicet inter moriendum seu in agone mortis sentiamus iram Dei adversus nostra peccata, atque ita incipiamus ipsimet pro peccatis nostris satisfacere. At non sequitur nobis non esse moriendum corporaliter, ita scilicet ut anima nostra è corpore emigret: Atqui de hac morte loquitur Syllogismi assumptio. Sic igitur aut falsa erit Syllogismi propositio, si de eadem morte nostrâ loquatur, de qua assumptio; aut quatuor erunt termini in Syllogismo, si ad propositionis veritatem servandam intelligatur illa de morte nostrâ æternâ seu sensu iræ Dei. Porrò ad duos illos mortis nostræ fines quod attinet; de priore, videlicet abolitione peccati, sciendum, peccatum, dum in hoc mortali corpore vivimus, nunquam penitus aboleri posse, sed semper reliquias aliquas, etiam in sanctissimis remanere, relictas in eis consilio divino ad certamen & exercitium. Unde etiam pii ex hoc veluti carcere liberari exoptarunt, ut Paulus ad *Rom. 7. v. 27.* ubi ait: *Miser ego homo, quis me eripiet ex isto corpore mortis?* De altero autem fine, qui est transitus in vitam æternam, testantur tum dicta scripturæ, tum exempla. *Johan. 11. v. 25. & cap. 5. v. 24.* Exempla per mortem corporis transeuntium in vitam æternam sunt passim obvia, ut Lazari mendici *Luc. 16. v. 22.* Stephani, *Act. 7. v. 59.* Hinc vota illa piorum, ut liceat ipsis quamprimum hinc emigrare, ut Paulus ad *Philip. 1. v. 32.*

Quæ



## XLIII. QUÆSTIO.

*Quid præterea capimus commodi ex sacrificio & morte Christi?*

Quòd virtute ejus mortis vetus noster homo unà cum eo crucifigitur, interimitur, ac sepelitur *a*, ne pravæ cupiditates & desideria carnis posthac in nobis regnent *b*, sed nos ipsos ei hostiam gratitudinis offeramus *c*.

*a Rom. 6. 6. 7. 8. 11. 12. & 12. 1. Colof. 2. b Rom. 6. 1*

*c Rom. 12. 1.*

## E X P L I C A T I O.

Præter effectum mortis Christi, quod indicatum est *quæst. 40.* quod est satisfactio pro peccatis, exponitur hîc aliud, quod vocatur mortificatio carnis seu veteris Adami, hoc est, emendatio corruptionis seu pravitatis naturæ. Cæterùm hoc effectum morti Christi ad scribi intelligendum est ratione fidei, quâ prius illud effectum, nempe satisfactio, creditur. Qui enim verè credit & persuasum habet, pro peccatis suis non nisi morte eaque acerbissima & ignominiosissima Filii Dei satisfieri potuisse, is incipiet peccata ex animo odisse ac fugere, resistendo pravis cupiditatibus & desideriis carnis. Cæterùm fides illa effectum est proximum Sp. S. morte Christi nobis impetratum, unde & ipsa, & effectum illius, videlicet mortificatio carnis, morti Christi adscribitur. Probatio au-

D



tem hujus fructus sive effecti, petitur ex 6. cap. ad Romanos.

## XLIV. QUÆSTIO.

*Cur additur, Descendit ad inferna?*

Ut in summis doloribus & gravissimis tentationibus, me consolatione hac sustentem, quòd Dominus meus Jesus Christus inenarrabilibus animi sui angustiis, cruciatibus & terroribus, in quos cum antea, tum maxime in cruce pendens, fuerat demersus, me ab angustiis & cruciatibus inferni liberavit a. Jes. 53. 10. Matth. 27. 46.

## E X P L I C A T I O.

Exponitur hic articulus de descensu Christi ad inferos. Declaratur autem partim sententia verborum, partim indicatur ipsius rei finis & fructus. Verba exponuntur per meton. effecti destinati, videlicet non secundum literam, seu sensu verborum proprio de mutatione loci, quasi Christus vel corpore vel anima revera ad locum damnatorum descenderit: Sed allegoricè de angoribus & terroribus infernalibus, quos Christus senit ante mortem, primum in horto, cum diceret; *Tristis est anima mea usq; ad mortem*; cumq; inter precandum luctans sudaret grumos sanguinis, & angelus illum consolaretur: tum deinde, cum in cruce pendens, exclamaret, *Deus mi, Deus mi, quare deseruisti me?* Fines autem & fructus horum Christi cruci-



cruciatuum est consolatio nostra, ne metu cruciatuum infernalium animum despondeamus: certò confisi, Christum illos cruciatus pro nobis sustinuisse. Porro etsi expositio allata orthodoxa est, & juvatur iis scripturæ locis, ubi per inferos sive infernum extremi dolores significari videntur, ut *1. Sam. 2. v. 6. Psal. 18. v. 6.* tamen aliter etiam articulus hîc exponi potest, videlicet de reconditione corporis Christi in sepulchro, ejusdemque ibidem detentione in tertium usque diem, aut saltem de hâc. Si utraque comprehendatur, tùm præcedens articulus intelligendus erit de corporis Christi funeratione, quæ græcè dicitur *ἐν τῷ φιασµῷ*, q. d. insepelitio, id est, involutio cadaveris in lintea ad sepeliendum. Si verò intelligatur tantummodo detentio corporis Christi in sepulchro, tùm articulus præcedens intelligendus erit de reconditione illius in sepulchro, ita tamen ut per Synec. membri funeratio illa simul cōprehendatur, quippe quæ tam diligenter in historia Evangelica narratur. Et hæc expositio commodissima videtur. Cæterùm detentio illa corporis in sepulchro, fuit dominatus mortis, cum extrema Christi ignominia conjunctus, triumphantibus hostibus ipsius quasi jam profus de eo actum esset. Unde etiam illo jam sepulto, non verentur ipsum nominare impostorem, & curant sepulcrum obsignari, ne scil. illa ipsorum triumphatio ullo pacto possit imminui aut impediri *Matth. 27. v. 63. 64.* Hæc expositio confirmatur ex verbis Petri, *Act. 2. v. 24. &c.* ubi de excitatione Christi è sepulchro lo-



quens citat verba *Psal. 16. v. 8. Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ut sanctus tuus videat corruptionem.* Ubi apparet Petrum vocabulo inferni nihil aliud intelligere quam sepulcrum, quod ipsum voce Hebræâ *Scheól*, quod ibi habetur, passim significatur. Unde jam & illud perspicitur, vocabulo *anime* ibi per synecdochen membri intelligi hominē, & rursus vocabulo *hominis* per synecdochen integri, intelligi corpus hominis. Atque hæc expositio confirmatur per verba sequentia, quæ more Prophetico per epexegetin subjiciuntur, videlicet, *Neque dabis ut sanctus tuus videat corruptionem*, id est, ut corpus ejus in sepulcro corrumpatur. Quod autem ait Petrus, *Deum excitavisse Jesum solutis doloribus mortis*: non est ita accipiendum, quasi Dominus in sepulcro constitutus dolores aliquos senserit. Verè enim mortuus erat & corpus exanime ibi jacebat: sed per metonym. efficientis intelligenda est illa duratio seu continuatio mortis corporalis, ad quam Dominus per dolores illos ineffabiles quos in cruce pertulerat, fuerat deductus. Hæc expositio ampliùs confirmatur duabus rationibus; unâ ab ordine articulorum fidei. Apparet enim secundum ordinem temporis narrari de Christo ea quæ cum fecit salutis nostræ causam passus est: Sepulturam autem sequuta est illa corporis Christi per triduum detentio, & extrema ignominia Christi tanquam prorsus oppressi. Altera ratio ab antithesi trium articulorum proximè sequentium, qui tribus proximè præcedentibus videntur e



ur è regione opponi. Etenim tribus gradibus humili-  
 ationis. *Mortuus est, Sepultus est, Descendit ad infe-*  
*ros:* opponuntur tres gradus exaltationis; *Resurrexit,*  
*Ascendit ad cælum, Sedet ad dextram Dei.* Morti op-  
 ponitur resurrectio in vitam; sepulcro mortis domi-  
 cilio opponitur ipsum cælum; domicilium vitæ bea-  
 tæ & gloriosæ credentium. Denique descensui ad in-  
 feros tanquam extremo gradui humiliationis in  
 ignominia, opponitur sessio ad dextram Dei patris  
 omnipotentis, quæ est summus gradus exaltationis  
 in gloria.

Alteri autem expositioni de sensu dolorum infer-  
 nalium aduersantur duæ rationes: una, ab ordine ar-  
 ticulorum, quia dolores illos sensit Christus ante-  
 quam sepeliretur, videlicet dum adhuc penderet in  
 cruce. Altera à symboli breuitate: cum qua puonat  
 idem bis dici, semel scilicet in articulo, *Crucifixus est,*  
 & iterum in isto articulo, *Descendit ad inferos.* Etenim  
 constat crucifixionem Christi conjunctam fuisse,  
 cum sensu dolorum infernalium, ut testatur illa vox  
 pendentis in cruce, *Deus mi, Deus mi, quare deseruisti*  
*me?* Itaque hi dolores per Synech. in illo articulo  
 comprehenduntur, sicut funeratio in articulo de se-  
 pultura. Porro expositio Papistarum consistere non  
 potest, qui tradunt: animam Christi, postquam è cor-  
 pore excessit, descendisse in infernum, id est, locum  
 damnatorum & quidem ad omnia loca inferni, non a.  
 tantummodo ad limbum patrum, ut tradit Thomas  
 Aquinas, & hætenus receptum fuit in Papatu. Vide



*Bellarmin. de Christi anima c. 16. Hæc expositio pugnat cum verbis Christi dicentis ad latronem, Hodie eris mecum in paradiso, Luc. 23. v. 43.*

*Illud factum est aut secundum totum, aut secundum partes.*

*Non secundum totum, quia corpore futurus erat in sepulcro.*

*Ergo secundum partem; & quidem vel animam tantum vel deitatem tantum, vel deitatem & animam simul.*

*Non secundum animam tantum, quia constat Christum secundum deitatem semper ubique esse. Non secundum deitatem tantum, quia loquitur ut homo homini, consolans sese simul & latronem. Ergo secundum deitatem & animam simul. Quare secundum animam tantum non fuit in inferno. Deinde eadem expositio repugnat his quæ dicit Christus Pater, animam meam in manus tuas commendo, ibid. v. 46. His enim verbis petit, ut pater suam animam ad se recipiat in cælum, ut patet ex collatione verborum Stephani Act. 7. v. 59. Domine Jesu suscipe Spiritum meum. Ad hæc illud quoque erroneum est, quod dicunt, animam Christi descendisse in infernum, ut inde liberaret animas justorum, qui erant in sinu Abrahamæ. Ac primùm confunditur hic cælum cum inferno, cum ex Luc. 17. colligere promptum sit, per sinum Abrahamæ intelligendum esse cælum, quippe in quod anima Lazari per angelos asportata fuit; cui infernus, in quo erat anima divitis, opponitur. Deinde*

*repu-*



repugnat S. Scripturæ, animas justorum descendere in infernum. Ascendunt enim illæ in cælum deportatæ per angelos, ut exemplo Lazari docemur. Sed pro sua expositione Bellarminus affert hæc scripturæ dicta. Primò, *Psal. 107. Contrivit portas areas, & veſtes ferreos confregit.* Respondeo: Dictum illud loquitur de liberatione populi Israelitici ex Ægypto, ut Bellarm. ipse fatetur. Non ergò loquitur de descensu ad inferos. At excipit, intelligi de eo, sensu mystico. At (inquam) qua facilitate sensus mysticus illis verbis affingitur eadem & repudiatur. Secundò, locus *Eccles. 4.* ubi sic loquitur Sapientia Dei; *Penetrabo omnes inferiores partes terra & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Respondeo: Verba hæc ut ipse Bellarminus ait, defunt in græco, deinde liber ille non est Canonicus. Tertiò, locus *Matth. 12. Sicut Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus & trib. noctibus, sic erit filius hominis in corde terra, i. e.* (interprete Bellarmino) in inferno. Respond. In corde terræ, phrasi Hebr. nihil aliud significat quàm intra terram, sicut *Psal. 46.* montes dicuntur moveri in cor marium, i. e. intra maria. Intra terram autem nihil hic aliud significat quam in sepulcro. Contra hanc expositionem excipit Bellarminus, per cor terræ intelligendum infernum, quia situs sit in profundo terræ, sicut cor in profundo animalis; sepulcrum autem esse prope superficiem terræ, & Christi sepulcrum videri fuisse supra terram, quia excisum erat in lapide. Resp. Ratio ista nihil probat, quia in illa phrasi non habetur præcisa ratio



situs cordis, sed tantum in genere, quatenus scilicet  
 fitum est intra corpus animalis. Deinde sepulcrum  
 Christi excisum fuit in Petra *Matth. 27.* Petra autem  
 illa erat pars terræ. Quartus locus, *Act. 2.* *Non relin-*  
*ques animam meam in inferno.* Respond. Sensus est,  
 non relinques corpus meum in sepulcro, ut patet ex  
 proposito Petri citantis hoc dictum; ad probandum  
 excitationem corporis Christi è sepulcro. Contra  
 hanc expositionem excipit Bellarminus vocem *ᾠδης*  
 semper significare infernum, nunquam sepulcrum.  
 Deinde Petrum animam à carne distinguere, cum di-  
 cit, *Nec anima ejus derelicta est in inferno, nec caro*  
*ejus vidit corruptionem,* & addit sic habere in Græco.  
 Sed falsò hoc dicit nam. in Græco non habetur *ἔτε,*  
 i.e. nec, sed habet *ἐκ ἐγχο. τολείψεις* ubi Petrus simpli-  
 citer repetit verba Psalm. in quibus more Prophetico  
 idem bis dicitur. Deinde Sophisticè omittit Bellarm.  
 verba, quæ cum his cohærent & proximè præcedant,  
 quibus scopus indicatur, *Præsciens nempe locutus est*  
*de resurrectione Christi, non derelictã esse animã,* &c.  
 Ubi Petrus tantum meminit resurrectionis Christi, non  
 etiam reditus Christi ex inferno, id est, loco damna-  
 torum. Quod autem *ᾠδης* interdum significet sepul-  
 crum, patet ex his locis. *Gen. 37. v. 35.* *Descendam ad*  
*filium meum Josephum lugēs eis ᾠδης.* Nam certè Jacob  
 non statuebat Josephum esse in inferno, aut se ventu-  
 rum in infernum: sed tantum loquebatur de utrius-  
 que morte corporali. Excipit Bellar. putavisse devo-  
 ratum à feris, & proinde caruisse sepulcro. Respond.  
 Simpli-



Simpliciter ad mortem respicit, & de morte loquitur, quia moris est ut mortui sepeliatur. Sic Job. 9. 17. v. 13. ubi ait, *Si expectem, &c. cœdus domus mea est, &c.* Certè Job non credebat se venturum in infernum. Ultimus locus 1. Pet. 3. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo: mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in quo his qui in carcere erant spiritibus, veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, cum expectabant Dei patientiam diebus Nohe.* Et cap. 4. *Ideò & mortuis prædicatum est Evangelium, ut judicentur quidem secundum hominem in carne, vivant autem secundum Deum in spiritu.* Responderetur: Primùm, per spiritum in dicto priore non significatur anima Christi, sed Spiritus S. vel certè Deitas Christi, sicut in similibus antithesibus Job. 6. v. 63. *Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quicquam.* Ad Rom. 1. v. 34. *de filio suo factò ex semine, &c.* Deinde non rectè versum est, *Spiritibus qui in carcere erant, quasi scilicet cum Petrus hæc scriberet, non jam amplius in carcere fuerint: sed vertendum, Spiritibus qui in carcere sunt.* Sententia est, Christum olim temporibus Noachi, per Spiritum S. excitavisse Noachum, & instruxisse ad prædicandum illis quorum spiritus seu animæ nunc sunt in carcere, id est, in inferno, quia prædicationi Noachi non obdixerunt. Loquitur ergò Petrus non de tempore quod secutum est Christi mortem, quasi tunc prædicaret illis Christus, sed de temporibus Noachi, quippe per



quem Christus illis prædicavit, unde eundem etiam alibi præconem justitiæ nominat. Similiter quod *c. 4.* dicitur *Evangelium prædicatum mortuis*, non est referendum, ad illud tempus, quo jam erant mortui, sed cum adhuc viverent, temporibus Noachi, ex cujus prædicatione aliqui eorum fuerunt conversi, cum jam corporali morte per diluvium punirentur.

## X L V. Q U Æ S T I O.

*Quid nobis prodest resurrectio Christi?*

Primum, sua resurrectione mortem devicit, ut nos posset ejus justitiæ, quam nobis sua morte pepererat, participes facere *a.* Deinde, nos jam quoque ejus potentiâ ad novam vitam excitamur *b.* Postremò, resurrectio capituli nostri Christi, nobis gloriosæ resurrectionis nostræ pignus est *c.*

*a* 1. Cor. 15. 16. 54. 55. Rom. 4. 25. 1. Pet. 1. 3. 21. *b* Rom. 6. 4. Col. 3. 3. Eph. 2. 5. *c* 1. Cor. 15. 12. Rom. 8. 11.

## E X P L I C A T I O.

Declaratur hîc articulus de resurrectione Christi, ex tribus effectis seu triplici fructu. 1. Fructus est demonstratio seu testificatio justificationis nostræ. 2. Excitatio nostri ad novam vitam, hoc est, studium piè sancteque vivendi. 3. Confirmatio fidei nostræ de resurrectione corporum nostrorum gloriosâ. De primo resurrectionis fructu sciendum: Christus  
pecca-



peccata nostra tanquam sponsor in se suscepit lu-  
enda, ut scil. pro illis iudicio Dei satisfaceret sua mor-  
te. Quare si in morte mansisset, ea res fuisset signum,  
quòd satisfactio nondum esset præstita. Ut ergò te-  
statum fieret, morte Christi pro nostris peccatis esse  
satisfactum; oportuit Christum à morte ad vitam be-  
atam & gloriosam excitari, Et hoc sibi volunt verba  
Pauli Rom. 4. v. ult. ubi ait: *Jesum traditum esse in mor-  
tem propter lapsus nostros (scil. expiandos) excitatum  
esse (scil. à morte) propter justificationem nostri, testifi-  
candam.* Eundem habent sensum verba 1. Cor. 15. v. 17.  
*Si Christus non est excitatus, adhuc estis in peccatis  
vestris, i. e. non certò vobis constat, vos habere remis-  
sionem peccatorum propter mortem Christi.* Ergò  
è contrario, cum Christus ex morte excitatus sit,  
non amplius sumus in peccatis nostris; sed scimus, ab  
iis nos per mortem Christi liberatos esse. De secundo  
fructu sic habendum: quòd par sit ratio resurrectionis  
Christi corporalis, & resurrectionis nostræ spiritualis:  
ita ut illa tanquam imago hujus in scriptura propo-  
natur, idque propter parem potentiam in efficienda  
utrâque. Quòd similis sit ratio utriusque, percipitur  
ex Pauli verbis Rom. 6. v. 4. *Sepulti sumus igitur cum  
eo per Baptismum in mortem: ut sicut excitatus est  
Christus ex mortuis ad gloriam patris, ita & nos in no-  
vitate vitæ ambulemus, &c.* Quod autem par poten-  
tia, videlicet potentia divina Spiritus sancti in utraq;  
efficienda adhibita sit & adhibeatur, colligitur ex  
cap, Rom. 8. v. 11. *Nam si spiritus eius qui excitavit*



*Jesum à mortuis, habitat in vobis; is qui excitavit Christum ex mortuis vivificabit etiam mortalia corpora vestra per inhabitantem ejus Spiritum in vobis. Ubi notandum, Apostolum non loqui de resurrectione corporum, sed de resurrectione spirituali, ut patet ex scopo illius loci & toto contextu. Eodem spectat locus Ephes. 1. v. 19. 20. Ut sciatis, quæ sit excellens illa magnitudo potentia ipsius in nobis qui credimus, pro efficacitate fortis roboris ipsius. Quam exseruit in Christo, quum excitavit eum ex mortuis, & collocavit ad dextram suam in caelis. Summa hæc est: Sicut scimus, corpus Christi per potentiam Spiritus S. à morte excitatum esse ad vitam æternam & beatam, ita etiam scimus Deum velle animas nostras per eandem potentiam excitare à morte peccati in vitam novam, id est, sanctam. Jam de tertio fructu resurrectionis sic habendum. Quam certò scimus Christum à morte excitatum esse ad vitam cælestem & beatam nec non gloriosam: tam certò scimus nostra quoque corpora similiter in die judicii excitatum iri, quia Christus est nostrum caput, nos ejus membra, ad Coloss. 1. v. 18. 1. Cor. 15. v. 23. 25. Item Christus est primogenitus ex mortuis, nos illius fratres, ad Coloss. 1. v. 15. Denique Christus est stirps: nos sumus rami hujus stirpis. 1. Cor. 15. v. 49.*

## XLVI. QUÆSTIO.

*Quomodo intelligis illud, Ascendit ad cælos?*

*Quòd aspicientibus discipulis, Christus de*



de terra in cælum sublatus est *a*, atque etiam-  
num nostra causa ibidem est *b*, & erit, donec  
redeat ad iudicandum vivos & mortuos *c*.

*a* Act. 1.9. Marc. 16.20. Luc. 24.5. *b* Heb. 14.24. & 7.  
25. & 9.11. Rom. 8.34. Ephes. 4.10. Coloss. 3.1. *c* Act.  
1.11. Matth. 24.30.

EXPLICATIO.

Declaratur hîc articulus de ascensione Domini,  
idque *ναὶ τὸ πᾶν*, i.e. secundum literam, de locali sc.  
motu & loci mutatione. Sicut historia clarè descri-  
pta extat Act. 1. v. 9. 10. 11. Atque hæc expositio illu-  
stratur ex fine seu causa finali, quod videlicet in cæ-  
lum ascenderit Dominus, ut ibi maneat nostra causa  
usque ad diem iudicii. Quod quomodo intelligen-  
dum sit, explicabitur *quest. 49*. Cæterùm de tempore  
mansionis Domini in cælo extat clarissimum testi-  
monium Act. 3. v. 21. *Quem (Jesum Christum) oportet ut cælum capiat, usque ad tempora restitutionis omnium, qua locutus est Deus per os omnium sanctorum suorum à seculo prophetarum.*

XLVII. QUÆSTIO.

*An ergo Christus non est nobiscum usque ad finem mundi, quemadmodum promisit a?*

Christus est verus Deus & verus homo:  
Itaque secundùm naturam humanam, jam



non est in terra a: At secundum divinitatem suam, majestatem, gratiam & Spiritum, nullo unquam tempore à nobis abest b.

a *Matth. 28. 20.* b *Matth. 26. 11. Joh. 16. 28. & 17. 11. Act. 3. 21.* c *Joh. 14. 17. & 16. 13. Matth. 28. Eph. 4. 8. 12. Augustin. tract. in Johan. 50.*

## E X P L I C A T I O.

Contra allatam expositionem affertur hinc ob-  
jectio:

*Si Christus jam est in celo, sede videlicet illa beatorum, non ergo nobiscum est in terra.*

*At est nobiscum. Non igitur in celo, tanquam certo loco extra hunc mundum.*

Assumptio probatur testimonio promissionis Domini *Matth. ult. in fine. Ego vobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi.* Respondetur: Negatione propositionis connexæ, eiq; contradicitur enunciatione hâc discreta. *Quamquam Christus est in celo tanquam in certo loco extra hunc mundum; tamen est etiam nobiscum in terra.* Hujus enunciati veritas declaratur è distinctione duarum in Christi persona naturarum, divinæ & humanæ. Nam pars enunciati antecedens, vera est, intellecta de natura Christi humana: consequens verò de divina. Nihil autem vetat quo minus opposita eidem rei tribuantur, respectu diversarum partium.

Quæ



## XLVIII. QUÆSTIO.

*An verò isto pacto due natura in Christo non divelluntur, si non sit natura humana, ubicunq; est divina?*

Minimè : Nam cum divinitas comprehendendi non queat, & omni loco præsens sit *a*: necessariò consequitur, esse eam quidem extra naturam humanam, quam assumpsit, sed nihilominus tamen esse in eadem, eique personaliter unitam permanere *b*.

*a Act. 7. 49. & 17. 28. Jer. 23. 24. b Col. 2. 9. Job. 3. 13. & 11. 15. Matth. 28. 6.*

## E X P L I C A T I O.

Sequitur hinc alia objectio:

*Si natura humana Christi non est ubicunq; est divina natura, fit ut hoc pacto due in Christo natura divellantur.*

*Atqui due in Christo natura non divellantur: sed inseparabiliter unitæ manent.*

*Ergò ubicunq; est divina natura, ibi etiam humana.*

Respondetur: negatione propositionis, eaq; negatio demonstratur è proprio adjuncto seu attributo naturæ divinæ, sc. ubi-quitate seu omnipræsentia. Si natura divina Christi ubiq; est, sequitur eam esse & intra naturam humanam à filio Dei assumptam & extra eam.



At divina Christi natura est ubique. Si autem est intra illam, non igitur est ab ea divulsa. Quod ut melius intelligatur: sciendum est personalem seu hypostaticam unionem duarum naturarum in Christo, non consistere in ipsarum naturarum coextensione & exæquatione, ut scil. una tam latè pateat, seu sese extendat atque altera. Nam hâc exæquatione tolleretur naturarum illarum essentia, ac proinde unio. Quippe si natura humana fieret immensa, ut est divina natura: jam desineret esse natura humana, & fieret divina. Immensitas enim est propria naturæ divinæ. Itaque patres in synodo Chalcedonensi orthodoxè confessi sunt, unum & eundem Jesum Christum filium Dei, dominum & unigenitum in duabus naturis inconfusè inconvertibiliter, indivulsè & inseparabiliter manifestatum: Haud quaquam differentia naturarum propter unionem sublata, sed potius utriusque naturæ in unam personam & unam hypostasim concurrentis proprietate servata. Est autem proprietas naturæ humanæ, dimensum ac circumscriptum atque finitum esse. Divinæ autem, esse infinitum, immensum, incircumscriptum.

X L I X. Q U Æ S T I O.

*Quem fructum nobis adfert ascensio Christi  
in calum?*

Primùm, quòd in cælo apud Patrem pro nobis intercedit *a.* Deinde, quòd carnem nostram  
nostram



nostram in cælo habemus, ut eo tanquam certo pignore confirmemur, fore, ut ipse qui caput nostrum est, nos sua membra ad se extollat *b.* Tertiò, quòd nobis suum Spiritum mutui pignoris loco mittit *c.*, cujus efficaciam, non terrena, sed superna quærimus, ubi ipse est ad dexteram Dei sedens *d.*

*a* 1. Johan. 2. 1. 2. Rom. 8. 34. *b* Johan. 14. 2. & 20. 17. Eph. 2. 6. *c* Johan. 14. 16. & 16. 7. Actor. 2. 2. Cor. 1. 22. 2. Cor. 5. 5. *d* Coloss. 3. 1. Philip. 3. 14. & 20.

## E X P L I C A T I O.

Exponuntur hinc tria effecta seu fructus ascensionis Christi: 1. fructus est intercessio pro nobis apud patrem, hoc est, ostensio coram facie patris, ut efficacia oblatis sacrificii perpetuo vigeat, de qua intercessione Rom. 8. v. 34. Heb. 4. v. 11. & 2. v. 25 c. 9. v. 11. 12. & 24: 17. v. 24. & 20. v. 17. Eph. 2. v. 16. 2. Fructus est spes certa gloriæ cælestis, de qua vide Joh. 14. v. 2. & c. 7. v. 20. Ephes. 2. v. 6. 3. Fructus est elevatio cordium nostrorum per Spiritum S. ad meditandum expetendumq; cælestia, de qua vide Coloss. 3. v. 1. Phil. 3. v. 20. Quod autem Spiritus Sanctus à Christo de cælo ad illam efficiendam mittatur, testantur

hæc loca: Joh. 14. v. 16. & 16. v. 7.

2. Cor. 1. v. 22. c. 5.

v. 5.



*Cur additur : Sedet ad dexteram Dei?*

Quia Christus ideo in cælum ascendit, ut se ibi caput suæ Ecclesiæ declararet *a*, per quod Pater omnia gubernat *b*.

*a Eph. 1. 20. 21. 22. 23. & 5. 23. Col. 1. 18. b Matth. 28. 18. Joh. 5. 22. 23.*

## E X P L I C A T I O.

Deinceps exponitur articulus de sessione Christi ad dextram patris, & i. indicatur ratio cohærentiæ, hoc est, quomodo hic articulus cohæreat cum præcedente, videlicet ut finis cum destinato: deinde illa sessio definitur, ubi notandum hanc locutionem esse Metaphoricã, sumptam à consuetudine hominum, quod genus metaphoriæ in scholis Theologorum speciali nomine *ὡς ἰστανται* dicitur. Nam cum Deus Spiritus sit, nec dextram, nec sinistram habet. Nec de Christo affirmari propriè loquendo potest, quòd in cælo semper sedeat, cum Stephanus viderit stantem. *Act. 2. v. 57.* Sed sedete ad dextram patris dicitur Christus, quia ut homo proximum à patre honorem obtinet, nomine patris gubernans Ecclesiam. Etenim quibus olim Judæi proximum à se ipsis honorem concedebant, eos ad dextram suam collocare consueverant, ut hoc ipso honorem testamentum facerent. Vide exemplum Salomonis exhibentis honorem matri *1. Reg. 2. v. 19.* Item uxori filiæ Pharaonis



raonis *Psal. 45. v. 10.* Nam locus ad sinistram olim habitus fuit dignior, eò quod cor ad sinistram vergit. Hodie apud nos quidem contrarium observatur. Ceterùm quod sedere ad dextram, idem fit quod regnare nomine Dei: patet ex collatione loci *1. Cor. 15. v. 25.* cum *Psal. 110. v. 1.* Nam quod hîc dicitur *sedere ad dextram Dei*, id illîc dicitur *regnare*.

L I. QUÆSTIO.

*Quid nobis prodest hac gloria nostri capitis Christi?*

Primùm, quòd per Spiritum sanctum in nos sua membra, cœlestia dona effundit *a.* Deinde, quòd nos suâ potentiâ contra omnes hostes protegit ac defendit *b.*

*Explicatio* *Psal. 2. 0. Psal. 110. 1. 2. Johan. 10. 28. 29. Eph. 4. 8.*

E X P L I C A T I O.

Indicantur hîc duo effecta seu duo fructus sessionis Christi ad dextram patris. 1. Gubernatio nostri per Spiritum sanctum. 2. Defensio nostri per potentiam ejus.

L II. QUÆSTIO.

*Quid te consolatur reditus Christi ad judicandum vivos & mortuos?*

*Quòd in omnibus miseriis & persecutio-*



nibus, erecto capite, eundem illum qui se prius pro me iudicio Dei statuit, & maledictionem omnem à me abstulit, iudicem è cælo expecto *a*, qui omnes suos & meos hostes in æternas pœnas abjiciat *b*: me verò cum omnibus electis, ad se in cœlestia gaudia, & sempiternam gloriam traducat *c*.

*a* *Luc. 21. 28. Roman. 8. 23. 33. Philip. 3. 20. Tit. 2. 13.*

*b* *2. Thessal. 1. 6. 7. 1. Thessal. 4. 16. Matth. 25. 41.*

*c* *Matth. 25. 34.*

## E X P L I C A T I O.

Articulus de reditu Christi ad iudicium declaratur ex effectis, videl. consolatione duplici fidelium, quarum alteram percipiunt ex futura hostium ultione, de qua vide *Matth. 25. v. 41. 2. Thess. 1. v. 8. 9.* Alteram verò ex futura sua ipsorum beatitudine, de qua vide *Matth. 25. v. 34. 1. Thess. 4. v. 17. 2. Thess. 1. v. 7. & 10.* Cæterum ad formam reditus Domini quod attinet, rediturus est gloriosè seu magnificè, vêtus scilicet nubibus, comitatus sanctis angelis *Act. 1. v. 11. Matth. 25. v. 31. Item c. 26. v. 64.* Illo autem die *cæli cum stridore præteribunt, elementa verò aestuantia solventur, terraq; & que in ea sunt opera exurentur. 2. Petr. 3. v. 10.* Ipsius autem iudicii forma describitur *Matth. 25. v. 31.* Porro quod dicitur iudicaturus vivos & mortuos, intelligendum est de vivis, quos dies Domini deprehendet *1. Thess. 4. v. 15. 2. Petr. 3. v. 10.* & de mortuis



mortuis, qui jam antea fuerint mortui, sed tunc ex morte iterum excitati & in vitam restituti.

## LIII. QUÆSTIO.

DE SPIRITU  
sancto.

*Quid credis de Spiritu sancto?*

Primum, quòd sit verus & coæternus Deus, cum æterno Patre & Filio *a*. Deinde, quòd mihi quoque datus sit *b*, ut me per veram fidem, Christi & omnium ejus beneficiorum participem faciat *c*, me consoletur, & mecum in æternum maneat *d*.

*a* Gen. 1. 2. Jes. 48. 16. 1. Cor. 3. 16. & 6. 19. Act. 5. 3. 4.

*b* Matth. 28. 19. 2. Cor. 1. 21. 22. *c* Gal. 3. 14.

*d* 1. Pet. 1. 2. 1. Cor. 6. 17. *d* Act. 9. 31.

## EXPLICATIO.

Exponitur hîc articulus de Spiritu S. de quo duo traduntur: Definitio & proprium effectum, hoc est, quid sit, & quod ejus officium. Quod ad definitionem attinet, Spiritus S. est tertia persona Trinitatis quæ à patre & filio procedit. Vide Johan. 15. v. 26. Rom. 8. v. 9. Matth. ult. v. penult. Quod ad officium, Spiritus S. est is, qui efficit fidem in cordibus electorum, eosque in omnibus æramnis & miseriis consolatur, 2. Cor. 5. v. 22. 1. Pet. 1. v. 2. Rom. 8. v. 15. 16. Gal. 5. v. 5. Johan. 14.



v. 16. Simul autem docetur, *quid sit credere in Spiritum S. seu quis dicatur credere in Spiritum S.* nempe is, qui credit sibi eum à Deo patre & filio datum, ac proinde, qui eo confidit ut suo doctore, ac consolatore.

## LIV. QUÆSTIO.

*Quid credis de sancta & catholica Christi Ecclesia?*

Credo filium Dei *a*, ab initio mundi ad finem usque *b*, sibi ex universo genere humano *c*, coetum ad vitam æternam electum *d*, per Spiritum suum & verbum *e*, in vera fide consentientem *f* colligere, tueri ac servare *g*: meq; vivum ejus coetus membrum esse *h*, & perpetuò mansurum *i*.

*a* Joh. 10. 11. *b* Psal. 71. 18. 1. Cor. 11. 26. *c* Gen. 26. 4. *d* Roman. 8. 29. 30. Ephes. 1. 10. 11. 12. 13. 1. Pet. 1. 20. *e* Jes. 59. 21. Roman. 1. 16. & 10. 14. 17. Ephes. 5. 26. *f* Act. 2. 46. Ephes. 4. 3. 4. 5. *g* Matth. 16. 18. Joh. 10. 28. 29. 30. *h* 1. Joh. 3. 21. 2. Cor. 13. 5. *i* 1. Joh. 1. 29. 1. Cor. 1. 8. 9. Rom. 8. 35. 36. 37.

## E X P L I C A T I O.

Exponitur hîc articulus de Ecclesia, ubi notandum vocem hanc esse græcam, & latine sonare *Evocationem*, seu *coetum evocatum*, & significatur hâc voce in genere, quilibet cætus populi, è suis sedibus in locum publicum evocati atque congregati. Hîc tamen,



men, ut & in sacris literis; intelligitur coetus credentium, hoc est, multitudo eorum, qui ex omnibus populis per prædicationem Evangelii vocati sunt & vocantur, ad sequendum ducem Christum, hoc est, ad credendum Christo eique serviendum: atque vocationi huic paruerunt & parent virtute Spiritus S. Exponuntur autem hinc variæ causæ Ecclesiæ. i. *Efficiens* tum procreans tum conservans, videlicet Filius Dei. Ubi notandum non excludi patrem & Spiritum sanctum, sed istam effectiorem Christo tribui tanquam capiti Ecclesiæ. Secunda causa *materia*, hoc est, homines ex quibus Ecclesia colligitur, videlicet omnis generis seu ordinis ac status homines singulis mundi ætatibus. Etsi enim olim soli Judæi dicebantur populus Dei, tamen subinde nonnulli ex aliis gentibus sese illis aggregarunt, eorumque religionem amplexi sunt. In novo autem Testamento post Christi in cælum ascensionem maxima pars collecta est, & adhuc colligitur ex aliis gentibus, Judaicâ gente rejectâ ex majori parte: atque hinc Ecclesia dicitur *Catholica*, id est, *universalis*, quia est omnium temporum & locorum & personarum. Tertia causa est *Finis*, vid. vita æterna. Ad hanc enim ut electa est Ecclesia ab æterno: ita suo tempore colligitur. Quartò indicatur aliæ *causæ efficiētes sociæ*, numero duæ; una *principalis*, videl. Spiritus S. altera *instrumentalis*, videl. consensus in vera fide. Ad extremum docetur etiam, *quisnam verè & salutariter credat Ecclesiã*, nēpe is qui credit se illius vivum esse mēbrum, & perpetuò mansurum,



*Quid sibi vult communio sanctorum?*

Primum, quod universi & singuli credentes, Christi & omnium ejus bonorum tanquam ipsius membra, communionem habeant *a*. Deinde, quod singuli, quæ acceperunt dona, in commune commodum & universorum salutem promptè & alacriter conferre debeant *b*.

*a* 1. Johan. 1. 3. Rom. 8. 32. 1. Cor. 12. 12. 13. 21. 1. Cor. 6. 17. *b* 1. Cor. 13. 5. Phil. 2. 4. 5. 6.

## E X P L I C A T I O.

Communio sanctorum declaratur hinc distributione bimembri ex objectis, quorum objectorum alterum sunt beneficia Christi, quibus sancti communi jure fruuntur, quemadmodum etiam ipso Christo. Alterum objectum sunt ipsorum bona tum corporalia, tum spiritualia, quæ ipsi inter se, prout singulorum postulat necessitas, communicare debent. Sed hoc posterius membrum etsi per severam & utilem doctrinam continet, tamen huc non convenit, tum quia parit homonymiam vocabuli *communio*, tum quia alienum est à proposito. Etenim in symbolo commemorantur beneficia Dei erga nos non autem officia nostra vel erga Deum, vel erga proximum, quippe quæ propriè exponuntur in Decaloga. Cæterum



rùm priori membro addenda sunt media quibus seu per quæ beneficia Christi credentibus communicantur. Ea sunt, Verbum & Sacramenta, ut percipi potest ex his locis. *Ephes. 4. v. 4. 5. 1. Cor. 10. v. 17. 1. Cor. 12. v. 12. 13.* Cæterùm ad confirmationem illius membri hæc loca faciunt *1. Johan. 1. v. 3. & loca modò citata ex 1. Cor. Item Rom. 8. v. 32. Joh. 4. v. 10.*

## LVI. QUÆSTIO.

*Quid credis de remissione peccatorum?*

Deum propter satisfactionem Christi *a* meorum peccatorum, atque illius etiam pravitatis, cum qua mihi per omnem vitam pugnandum est *b*, memoriam omnem deposuisse, & me justitiâ Christi gratis donare, ne unquam in iudicium veniam *c*.

*a 1. Johan. 2. 2. 2. Corinth. 5. 19. 21. b Jerem. 31. 34. Psal. 103. 3. 10. 12. Roman. 7. 24. 25. Roman. 8. 1. 2. 3. c Joh. 3. 18.*

## EXPLICATIO.

*Remissio peccatorum*, quâ scilicet Deus homini credenti remittit peccata, declaratur. 1. *è causa impulsiva*, quæ est satisfactio Christi, id est, mors ejus cum sensu iræ Dei conjuncta, quâ satisfecit iudicio Dei pro peccatis nostris *1. Joh. 2. v. 2. & c. 1. v. 7. 2. Cor. 5. v. 21.* 2. *è distributione*, qua peccata nostra distribuuntur in originale & actualia. Originale autem

E



notatur vocabulo pravitatis, per Synecd. membri, & affirmatur Christum satisfecisse, scil. sua morte, pro peccatis nostris omnibus 1. Joh. 1. v. 7. 3. *E forma*: quæ est, peccatorum oblivisci & justitiam Christi imputare: ubi notandum, hæc duo ratione tantum differre, re ipsâ idem esse; quippe quum nostra justitia, qua consistimus coram tribunali Dei, nihil aliud sit, quàm ipsa peccatorum remissio, ut colligitur ex Apostoli verbis Rom. 4. v. 6. 7. 8. Tribuitur autem Deo oblivio nostrorum peccatorum per anthropopathiam, & per Metonymiam efficientis. Nam homo tum dicitur oblivisci offensæ, cum deponit propositum ulciscendi, sicut contra dicitur meminisse offensionis & injuriæ illatæ, cum gerit animum vindictæ cupidum. Deinde illud quoque notandum: Justitiam Christi cum loquimur de justitiæ, quâ coram Deo consistamus imputatione, non intelligendum de justitiâ, quæ ipsi Christo inhæret, sed de justitiâ morte Christi parta. Itaque genitivus in hac phrasi non notat subiectum recipiens in se, sed causam efficientem: sicut in illa phrasi Apostoli, qua subinde utitur in hac ipsa doctrina justificationis, nominans scilicet justitiam Dei, id est, quam Deus nobis donat & imputat. Rom. 3. v. 21. 22. c. 10. v. 3. Quartò declaratur etiam remissio peccatorum ex *sine proximo*, qui est liberatio ab æternis pœnis, seu maledictione Dei, ad Gal. 3. v. 13. ubi simul intelligenda acquisitio benedictionis seu vitæ æternæ, *ibidem* v. 14.



## LVII. QUÆSTIO.

*Quid te consolatur resurrectio carnis?*

Quòd non tantùm anima mea, postquam è corpore excesserit, è vestigio ad Christum suum caput assumetur *a*: verùm quòd hæc quoque caro mea, potentiâ Christi excitata, rursus animæ meæ unietur, & glorioso corpori Christi conformabitur *b*.

*a* Luc. 23. 43. Philip. 1. 23. *b* 1. Cor. 15. 52. 54. Job. 19. 25. 26. 1. Job. 3. 2. Phil. 3. 21.

## E X P L I C A T I O.

*Resurrectio carnis* declaratur 1. *collatione minoris*, videlicet migrationis animæ ad Christum, de qua vide Luc. 16. v. 22. & c. 23. v. 43. Psal. 1. v. 23. 2. *Expositione causæ efficiētis*, quæ est potentia Christi, de qua vide. Johan. 5. v. 28. 29. Philip. 3. v. 21. 3. *Expositione forme*, quæ est remigratio animæ in corpus, quæ præsupponit corporis in integrum restitutionem. Quæ de re vide 1. Cor. 15. v. 53. 54. Job. 19. v. 25. 26. 27. 4. *Expositione adjunctitum inharētis*, quod est claritas seu splendor cælestis: tum *adharētis*, quod est conformitas corporis cum glorioso corpore Christi, 1. Cor. 16. v. 41.

Philip. 3. v. 21.



*Quam consolationem capis ex articulo de  
vita æterna?*

Quòd, quoniam in præsentia vitæ æternæ  
initia in meo corde præsentisco *a*, futurum  
fit, ut post hanc vitam plena perfectaque bea-  
titudine potiar, in qua Deum in æternum ce-  
lebrem: quam quidem beatitudinem nec  
oculus vidit, nec auris audivit, nec ullus ho-  
mo cogitatione comprehendit *b*.

*a* 2. Cor. 5. 2. 3. *b* 1. Cor. 2. 9. Joh. 17. 3.

## E X P L I C A T I O.

*Vita æterna* declaratur. 1. Primò *distributione*  
bimembri ex adjunctis tùm adhærentibus, tùm in-  
hærentibus. Adhærentia sunt vita præsens, & vita fu-  
tura. Inhærentia, initium beatitudinis & ejusdem  
plenitudo seu perfectio. 2. Secundò *expositione proprii*  
*effecti*, quod est, Deum in æternum celebrare. 3. Po-  
stremò *definitione seu descriptione*, quadam ex tribus  
adjunctis occupatis negatis, quæ definitio traditur  
verbis Apostoli 1. Cor. 2. v. 9. Ubi addendum, vitam  
æternam consistere partim in ineffabili gaudio, quod  
oritur ex sensu paterni favoris Dei: partim in summa  
gloria, quæ existet tum ex perfecta animi sanctitate,  
tum ex cælesti corporis splendore, tùm denique ex  
regia dignitate. De gaudio illo vide *Psal. 16. v. 1. Item*  
17. v.



17. v. 15. *Matth. 5. v. 11. Luc. 22. v. 30. & 23. v. 43.* De  
sanctitate, ad *Ephes. 5. v. 27. Apocal. 21. v. 22.* De splen-  
dore corporis, *Matth. 13. v. 43. 1. Cor. 15. v. 40. Phil. 3.*  
*v. 21.* Denique de regia dignitate, *Luc. 22. vers. 30.*  
*2. Tim. 2. v. 12. Apoc. 1. v. 6.*

LIX. QUÆSTIO.

*At cum hæc omnia credis, quid utilitatis inde  
ad te redit?*

Quòd in Christo justus sum coram Deo  
& hæres vitæ æternæ.

*a Hab. 2. 4. Rom. 1. 17. Job. 3. 36.*

EXPLICATIO.

Quæritur hîc de effectis fidei Christianæ, & expo-  
nuntur duo: *Justificatio & hæres vitæ æternæ.*

LX. QUÆSTIO

*Quomodo justus es coram Deo?*

Solâ fide in Jesum Christum *a*, adeò, ut li-  
cet me mea conscientia accuset, quòd adver-  
sus omnia mandata Dei graviter peccave-  
rim, nec ullum eorum servaverim *b*, ad hæc  
etiamnum ad omne malum propensus sim *c*,  
nihilominus tamen (modò hæc beneficia  
vera animi fiducia amplectar *d*) sine ullo meo



merito *e*, ex vera Dei misericordia *f*, mihi perfecta satisfactio *g*, iustitia & sanctitas Christi *h* imputetur ac donetur *i*, perinde ac si nec ullum ipse peccatum admissem, nec ulla mihi labe inhaereret: imò verò quasi eam obedientiam, quam pro me Christus praestitit, ipse perfectè praestitissimè *k*.

*a* Rom. 3. 21. 22. & 5. 1. 2. Gal. 2. 16. Ephes. 2. 8. 9. Phil. 3. 9. *b* Roman. 3. 9. & c. *c* Rom. 7. 23. *d* Rom. 3. 24. Johan. 3. 18. *e* Tit. 3. 5. Deuter. 9. 10. Ezech. 36. 22. *f* Rom. 3. 24. Eph. 2. 8. *g* 1. Johan. 2. 2. *h* 1. Joh. 2. 1. *i* Rom. 4. 4. 5. 2. Cor. 5. 19. *k* 2. Cor. 5. 21. Rom. 3. 22. Joh. 3. 18.

## E X P L I C A T I O.

Occasione quaestionis praecedentis quaeritur de justificationis causa efficiente instrumentali: & simul *justificatio fidei* declaratur antithesi contrariorum. Item expositione causae efficientis, formalis & materialis. *Efficiens* est misericordia Dei. *Formalis* imputatio satisfactionis Christi. *Materialis* verò, id est, res quae nobis ad iustitiam imputatur, est sola obedientia mortis Christi, sicut ostendimus supra *quest. 36*. Itaque quòd in textu dicitur, imputari nobis iustitiam & sanctitatem Christi, id nisi intelligatur de iustitiâ paratâ morte Christi, consistere non potest. Nam per iustitiam Christi interdum intelligi potest iustitia ejus divina, interdum humana ei innata, interdum humana per



na per obedientiam erga legem acquisita: quarum tamen nulla nobis imputatur.

## LXI. QUÆSTIO.

*Cur sola fide te justum esse affirmas?*

Non quòd dignitate meæ fidei Deo placeam: sed quòd sola satisfactio, justitia & sanctitas Christi, mea justitia sit coram Deo: Ego verò eam non alia ratione, quàm fide amplecti, & mihi applicare queam b.

a 1. Cor. 1. 30. & 2. 2. b 1. Joh. 5. 10.

## EXPLICATIO.

Iterum docetur quid sit fide justificari seu qua ratione ex fide justificemur, nempe quatenus instrumentum est per quod satisfactio Christi propter quam justificamur, nobis à Deo ad justitiam imputatur, quatenus nos illam fide apprehendimus & nobis applicamus. Hæc autem ratio illustratur antithesi rationis diversæ scilicet dignitatis fidei.

## LXII. QUÆSTIO.

*Cur nostra bona opera non possunt esse justitia, vel pars aliqua justitiæ coram Deo?*

Propterea quòd oporteat eam justitiam, quæ in judicio Dei consistat, perfectè abso-



lutam esse, & omni ex parte divinæ Legi congruentem *a*: Nostra verò etiam præstantissima quæque opera, in hac vita sint imperfecta, atque adeò peccatis inquinata *b*.

*a Gal. 3. 10. Deut. 27. 26. b Jes. 64. 6.*

## E X P L I C A T I O.

*Justificatio fidei illustratur antithesi contrarii, doceturq; nos bonis operibus non justificari, hoc est, propter justitiam bonorum operum. Argumentum sumitur à justificationis causa impulsiva, quæ est justitia perfecta. Syllogismus talis est.*

*Justitia quæ Deum impellit ad justificandum, necessario perfecta est.*

*At justitia nostrorum operum bonorum non est perfecta.*

*Ergò justitia bonorum operum non impellit Deum: ad nos justificandum.*

Assumptio amplificatur collatione imparium per argumentationem à majori, deinde etiam à minori.

## LXIII. QUÆSTIO.

*Quomodo bona opera nostra nihil promerentur, cum Deus & in presenti & in futura vita mercedem pro his se daturum promittat?*

*Merces ea non datur ex merito, sed ex gratia a.*

*a Luc. 17. 10.*

Ex.



## E X P L I C A T I O.

Objectio contra conclusionem quaestionis praecedentis.

*Pro quo datur merces, id habet rationem meriti.*

*Atqui pro bonis operibus datur merces.*

*Ergo bona opera habent rationem meriti.*

Respondetur: negatione propositionis, & negationis ratio affertur, quia merces quaedam, nempe ea ipsa quae datur pro bonis operibus, ex gratia datur. Ubi notandum praemia illa quae pro bonis operibus promittuntur, appellari in scriptura mercedem, per Metaphoram, quia ut merces datur operario post opus peractum: ita etiam praemia illa dantur piis post bona opera. Item ut merces debetur operario ex pacto promissionis: ita etiam praemia illa debentur piis ex pacto promissionis. Potest etiam responderi quatuor esse terminos: nam in propositione merces dicitur proprie, in assumptione metaphoricè.

## LXIV. QUÆSTIO.

*An autem hæc doctrina non reddat homines securos & profanos?*

Non: neque enim fieri potest, quin ii qui Christo per fidem insiti sunt, fructus proferrant gratitudinis a.

a *Matth. 7. 18. Johan. 15. 5.*

E S:



Alia objectio:

*Illa doctrina reddit homines securos & profanos.*

*Ergo falsa.*

Negatur Antecedens. Negatio probatur à causa efficiente videlicet communione fidei justificatorum cum Christo. Idem probari potest à natura fidei justificantis, quæ non potest non ex se parere studium placendi Deo, ex consideratione summi beneficii, remissionis scilicet peccatorum gratuitæ: Item studium cavendi offensionem Dei, ex consideratione turpitudinis peccati, quod tam tetrum esse agnoscit fides, ut non potuerit expiari & tolli nisi morte, eâque acerbissimâ atque ignominiosissimâ, filii Dei.

LXV. QUÆSTIO.

D E S A C R A M E N T I S.

*Quoniam igitur sola fides nos Christi atq; omnium  
ejus beneficiorum participes facit: unde  
hæc fides profici scitur?*

A Spiritu sancto *a*, qui eam per prædicationem Evangelii in nostris cordibus accendit, & per usum Sacramentorum confirmat *b*.

*a Ephes 2.8. & 23. Johan. 8.5. Phil. 1.29. b Matth. 28.  
19.20. 1. Pet. 1.22.23.*

Ex-



## E X P L I C A T I O.

Exponuntur hîc fidei justificânis causæ efficientes tres: 1. *Procreans principalis*, quæ est Spiritus sanctus *Ephes. 3. v. 8. Matth. 16. v. 17. Joh. 6. v. 44.* 2. *Instrumentum & procreatioxi & conservationi fidei serviens*, quod est prædicatio Evangelii. *Rom. 10. v. 17. & 1. v. 16.* 3. *Instrumentum serviens soli conservationi & confirmationi seu incremento fidei*, videl. usus Sacramentorum *Rom. 4. v. 11. 1. Pet. 3. v. 21.*

## LXVI. QUÆSTIO.

*Quid sunt Sacramenta?*

Sunt sacra & in oculos incurrentia signa, ac sigilla, ob eam causam à Deo instituta, ut per ea nobis promissionem Evangelii magis declaret & obsignet: quòd scilicet non universistantùm, verùm etiam singulis credentibus propter unicum illud Christi sacrificium in cruce peractum, gratis donet remissionem peccatorum, & vitam æternam *a.*

*a* *Genes. 17. 11. Rom. 4. 11. Deut. 30. 6. Levit. 6. 25. Heb. 9. 7. 8. 9. 24. Ezech. 20. 12. 1. Sam. 17. 36. Jes. 6. 6. 7. & 54. 9.*

## E X P L I C A T I O.

Definiuntur hîc *Sacramenta*. Genus ponitur duplex. Unum *remotum* videlicet signum. Alia-



rum *proximum* sigillum. Quod utrumque illustratur ex adjunctis videl. sanctitate & visibilitate, quibus addendum tertium, videlicet palpabilitas. *Differentia* sumpta est è causis: partim quidem ex *efficiente*, quæ est Deus: *Gen. 17. Exod. 12. Matth. ult.* partim verò ex *sine*, qui exponitur duplex. Primus *inferior* & posteriori subordinatus, is est, promissionis Evangelii major declaratio. Secundus, *Superior* & proprius is est promissionis ejusdem obsignatio. Declarant autem Sacramenta promissionem Evangelii ratione analogiæ seu similitudinis, quæ est inter signa & res signatas: quatenus sunt imagines & picturæ quædam, quibus res signatæ mentibus nostris repræsentantur *Gal. 3. v. 1.* Obsignant verò promissionem Sacramenta, quatenus singulis credentibus specialiter applicantur, & à singulis fide percipiuntur. *Rom. 4. v. 11. Genes. 17. v. 13.* Postremò differentiæ posterioris particula, videl. *promissio Evangelii*, declaratur *definitione*: quæ sumpta est è *subjectis occupantibus*, seu *objectis*, quæ indicantur duo: remissio peccatorum & vita æterna, quæ ipsa objecta declarantur causis efficientibus. Quæ item indicantur duæ: videlicet gratia Dei & sacrificium Christi, quarum illa est *προνυμψύνη*: ista verò *προνυμψύνη*, id est, impulsiva. Ubi probè notandum, impetrationem remissionis peccatorum & vitæ æternæ, soli sacrificio Christi in cruce peracti tanquam effectum ascribi.

Quæ-



## LXVII. QUÆSTIO.

*Num utraque igitur, & verbum & Sacramentum  
eò spectant, ut fidem nostram ad sacrificium Chri-  
sti in cruce peractum, tanquam ad unicum  
nostræ salutis fundamentum  
deducant?*

Ita est. Nam Spiritus sanctus docet Evan-  
gelio, & confirmat Sacramentis, omnem  
nostram salutem positam esse in unico sacri-  
ficio Christi, pro nobis in cruce oblato *a.*

*a Rom. 6. 3. Gal. 3. 27.*

## E X P L I C A T I O.

Exponitur verbi & Sacramentorum finis commu-  
nis, qui est spes salutis ex unico sacrificio Christi; ubi  
iterum notanda illa verba aurea, quibus meritum  
salutis nostræ soli sacrificio Christi tribuitur. Quòd  
enim dicitur, sacrificium Christi esse unicum funda-  
mentum salutis nostræ, id intelligendum est, quoad  
meritum seu causam impulsivam. Nam quoad cau-  
sam προηγυρισμένην, id est, antecedentem in mente Dei,  
fundamentum salutis nostræ est prædestinatio.

## LXVIII. QUÆSTIO.

*Quot Sacramenta instituit Christus in novo  
fœdere?*

Duo, Baptismum, & sacram Cœnam.



Numerus Sacramentorum novi Testamenti indicatur, quæ duo tantum sunt, quia plura ex verbo Dei ostendi non possunt. Nam quinque, quæ addunt Pontificii, conficta sunt; quia eis non competit definitio Sacramenti.

## L X I X. Q U Æ S T I O.

## D E B A P T I S M O.

*Qua ratione in Baptismo admoneris & confirmaris, te unici illius sacrificii Christi participem esse?*

Quòd Christus externum aquæ lavacrum mandavit *a*, addita hac promissione *b*, me non minùs certò ipsius sanguine & Spiritu à sordibus animæ, hoc est, ab omnibus meis peccatis lavari: quàm aqua extrinsecus ablutus sum *c*, qua sordes corporis expurgari solent.

*a* Matth. 28. 19. Act. 2. 38. *b* Matth. 3. 11. Marc. 16. 16. Rom. 6. 3. *c* Marc. 1. 4. Luc. 3. 3.

## E X P L I C A T I O.

Duplex ille finis Sacramentorum, qui indicatus est *quest. 66.* exponitur specialiter de baptismo. Sententia est, *Baptismus declarat promissionem. Evangelii.*



*l*ii, ratione similitudinis seu analogiâ signorum cum rebus signatis. *Signa sunt*, aqua & ablutio corporalis seu sordium corporis. *Res signatae sunt*, sanguis Christi & Spiritus sanctus. Item ablutio spiritualis seu sordium animæ, hoc est, remissio peccatorum & mortificatio peccati inhærentis. Aqua igitur baptismi significat & repræsentat sanguinem Christi & Spiritum sanctum. Ablutio significat ablationem sordium peccati & purgationem animæ. Deinde *obsignat* Baptismus promissionem Evangelii quatenus unicuique federatorum speciatim adhibetur. Hæc enim ceremonia divinitus testatum illi fit, ipsum tam certò potiri rebus significatis, quàm certò signa percepit.

## LXX. QUÆSTIO.

*Quid est sanguine & Spiritu Christi  
abluere?*

Est accipere à Deo remissionem peccatorum gratis, propter sanguinem Christi, quem is pro nobis in suo sacrificio in cruce profudit *a*: Deinde etiam per Spiritum sanctum renovari, & ipso sanctificante, membrum Christi fieri, quò magis ac magis peccatis moriamur, & sanctè inculpateq; vivamus *b*.



a *Hebr. 12. 24. 1. Pet. 1. 2. Apoc. 1. 5. & 22. 14. Zach. 13. 1. Ezech. 36. 25.* b *Johan. 1. 33. & 3. 5. 1. Cor. 6. 11. & 12. 13. Rom. 6. 4. Col. 2. 12.*

## E X P L I C A T I O.

Declarantur hęc duę phrascs Sacramentales ad Baptismum pertinentes, videlicet *Ablui sanguine Christi, & Ablui Spiritu sancto.*

## LXXI. QUÆSTIO.

*Ubi promisit Christus, se nos tam certò sanguine & Spiritu suo abluturum, quàm aqua baptismi abluti sumus?*

In institutione Baptismi, cujus hęc sunt verba: *Ite & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti a: Qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur: qui non crediderit, condemnabitur b. Hęc promissio repetitur, cùm scriptura Baptismum nominat lavacrum regenerationis c, & abluionem peccatorum d.*

a *Matth. 28. 19.* b *Marc. 16. 16.* c *Tit. 3. v. 5.* d *Act. 22. 16.*

## E X P L I C A T I O.

Doctrina de Baptismo exposita confirmatur testimonio verborum Christi *Matth. ult. & Marc. ult. nec non ad Tit. 3. item, Actor. 22.* Verba Christi duas res



continent: *Mandatum & promissionem.* *Mandatum* est de baptismo administrando iis, qui profitentur fidem Evangelii; quod mandatum ut ad Apostolos pronunciatum est, ita etiam ad eorum veros successores, hoc est, omnes sinceros Evangelii Doctores & Pastores pertinet. Quo ipso excluduntur ab officio baptizandi mulieres, quippe quibus teste Apostolo, in Ecclesia tacendum est. *Promissio* est de salute, seu vita æterna, quam Deus promittit iis, qui crediderint & baptizati fuerint, hoc est, qui non solum baptizati fuerint, sed etiam crediderint. Nam fidei præcipuum est, quod ad salutem æternam consequendam requiritur, imò solam necessariam esse simpliciter, colligitur ex antithesi, ubi solius fidei mentio fit: nulla baptismi. Porrò hæc Domini promissio illustratur duobus similibus Pauli testimoniis, quorum prius ad *Tit. 3. v. 5.* extat, posterius *Actor. 22. v. 16.* In quibus testimoniis tribuuntur Baptismo propria effecta sanguinis Christi, & Spiritus Christi per Metonymiam adjuncti, quia scilicet baptismus adjunctus est iis rebus à Christo, ut signum & testimonium.

## LXXII. QUÆSTIO.

*Estne ergo externus baptismus aquæ ipsa peccatorum ablutio?*

Non est *a*: Nam solus sanguis Jesu Christi purgat nos ab omni peccato *b*.



a *Matth. 3. 11. 1. Pet. 3. 21. Ephes. 5. 26.* b *1. Johan. 1. 7.*  
*1. Cor. 6. 11.*

## E X P L I C A T I O.

Prolepsis hîc continetur nata ex citatione testimonii Pauli in Actis c. 22. objectio:

*Paulus Baptismum vocat ablutionem peccatorum.*  
*Ergo peccata abluit baptismus.*

In responsione negatur consequentia; eaq; negatio probatur à disparato.

*Solus sanguis Christi purgat nos ab omni peccato.*  
*Ergo non baptismus.*

Antecedens nititur testimonio *1. Joh. 1. v. 4.* Hinc porrò intelligitur, negandã esse illius enthymematis consequentiam propter propositionis omissem vel particularitatem, vel falsitatem. Non enim quicquid in scriptura dicitur, id tanquam propriè dictum accipiendum est, cum scriptura referta sit tropis.

## LXXIII. QUÆSTIO.

*Cur ergo Spiritus sanctus Baptismum appellat lavacrum regenerationis, & ablutionem peccatorum?*

Deus non sine gravi causa sic loquitur, videlicet non solùm ut nos doceat, quemadmodum sordes corporis aqua purgantur, sic peccata nostra sanguine & Spiritu Christi ex-



sti expiari *a*: verum multò magis, ut nobis hoc divino symbolo ac pignore certum faciat, nos non minùs verè à peccatis nostris interna lotionè ablui, quàm externa & visibili aqua abluti sumus *b*.

*a* Apoc. 1. 5. & 7. 14. 1. Corinth. 6. 11. *b* Marc. 16. 16. Gal. 3. 17. 18.

## E X P L I C A T I O.

Occasione objectionis præcedentis declarantur duo illa scripturæ de baptismo testimonia, & docetur, enunciata illa esse metonymica, quippe quibus, quod proprium est rerum significatarum, nempe sanguinis & Spiritus Christi, id tribuitur signo, videlicet aquæ baptismi, idque propter significationis veritatem & testimonii certitudinè, quia ablutio aquæ in hac sacra ceremonia verè significat & certò testatur credenti, qui aqua illa abluatur, ablutusve est, ablutio-nem à peccatis propter sanguinem & per Spiritum Christi. Cæterùm occurrunt hinc quædam corrigenda. Ac primò id quod dicitur, *Sanguine Christi peccata nostra expiari*, quod si simpliciter intelligatur, de tempore scilicet præsentis, consistere non potest; quia ex verbo Dei certum est, peccata nostra jam expiata esse per sacrificium Christi in cruce semel oblatum, ut Apostol. ad Hebræos sæpius affirmat. Nec videtur ad id excusandum afferri posse dictum illud Johannis *Sanguis Jesu Christi purgat nos ab omni peccato*. Jo-



hannes enim ibi non loquitur de ipsa expiatione, sed de expiationis effectu. Nam expiatio semel facta est, nimirum in cruce: sed vim purgandi habet perpetuam. Purgat enim omnes credentes ab origine mundi usque ad finem illius. Deinde valdè improprie dicitur, *peccata nostra expiari Spiritu Christi*. Etenim expiatio peccatorum proprium est sanguinis Christi effectum. Commodiore hinc verbo usa est Catechesis Germanica, videl. *hinweg genommen werden*/id est, tolli. Quod verbū utriq; competit & sanguini & Spiritui Christi, sed diversa ratione. Nam *sanguine Christi ablata sunt nostra peccata*, quatenus per illius effusionem cum sensu iræ Dei conjunctam expiata sunt. At *per Spiritum Christi sunt ablata nostra peccata, & quotidie auferuntur*, per regenerationem inchoatam & continuationem illius quotidianā. Tertio occurrit hinc oppositio & simul cōparatio *πυρρός λογος*, quā scil. idem sibi ipsi tanquam diversum opponitur, & idem secum ipso tanquam majus comparatur. Etenim re ipsā idem sunt, *peccata nostra expiari sanguine Christi & Spiritu Christi; & nos à peccatis interna lotionē abluī*, quippe interna illa sive spiritualis lotio à peccatis nihil est aliud, quàm peccatorum remissio, per expiationem factam sanguine Christi & peccati abolitio per Spiritum Christi regenerantem. Quarto & postremo illud quoque non plenam & perfectam doctrinam continet, quod dicitur *nos interna lotionē abluī*, scilicet tempore præsentē; quia certum est, nos jam à peccatis ablutos esse, quatenus adepti



adepti sumus remissionem peccatorum, & quatenus  
 cœpimus regenerari per Spiritum S. Abluitur tamen  
 adhuc quotidie: quatenus regeneratio in nobis con-  
 tinuatur & augetur. Catechesis Germanica hîc ufa est  
 tempore præterito, *nos ablutos esse*, quod & ipsum im-  
 perfectè dictum est; ut ex supra dictis liquet. Oportet  
 enim utrumque conjungere.

## LXXIV. QUÆSTIO

*Suntne etiam infantes baptizandi?*

Omnino: Nam cum æquè ac adulti ad fœ-  
 dus & Ecclesiam Dei pertineant *a*, cumque  
 eis per sanguinem Christi, remissio peccato-  
 rum *b*, & Spiritus sanctus fidei effector, non  
 minùs quàm adultis promittatur *c*: per Ba-  
 ptismum Ecclesiæ Dei inserendi sunt, & ab  
 infidelium liberis discernendi *d*, itidem ut in  
 veteri fœdere per circumcisionem fiebat *e*,  
 cui in novo fœdere substitutus est Baptis-  
 mus *f*.

*a Gen. 17. 7. b Matth. 19. 14. c Luc. 1. 14. 15. Psal. 22.  
 11. Jes. 44. 1. 2. 3. Act. 2. 39. d Act. 10. 47. e Gen. 17.  
 14. f Col. 2. 11. 12. 13.*

## EXPLICATIO.

Pro pædobaptismo quatuor hîc afferuntur argu-  
 menta.

1. *Ad*



1. *Ad infantes fidelium pertinet fedus, Gen. 17. v. 7. Ergo & signum federis; quod in novo Testamento est baptismus.*

2. *Infantes sanctorum sunt membra Ecclesiae, 1. Cor. 7. v. 14. Ergo ad eos pertinet nota Ecclesiae novi Testamenti videlicet Baptismus.*

3. *Infantibus sanctorum est promissa remissio peccatorum, & Spiritus S. Jerem. 31. v. 31.*

*Ergo ad eos pertinet sigillum, quo promissio obsignatur, quod in novo Testamento est Baptismus.*

4. *In veteri Testamento circumcisi fuerunt sanctorum infantes.*

*Ergo in novo Testam. sanctorum infantes baptizandi sunt.*

*Ratio à pari, quia baptismus circumcisioni successit, ut colligitur ex verbis Apostoli. Col. 2. v. 11. 12.*

## LXXV. QUÆSTIO.

## D E C Æ N A D O.

mini,

*Qua ratione in cena Domini admoneris & confirmaris, te unici illius sacrificii Christi in cruce oblatis, atq; omnium ejus bonorum participem esse?*

*Quòd Christus me atque omnes fideles de hoc fracto pane edere, & de poculo distributo*



buto bibere iussit, in sui memoriam, addita hac promissione *a*: Primam corpus suum non minus certò pro me in cruce oblatum ac fractum, & sanguinem suum pro me fustum esse: quàm oculis cerno, panem Domini mihi frangi, & poculum mihi communicari. Deinde, animam meam non minus certò ipsius corpore, quod pro nobis crucifixum, & sanguine, qui pro nobis fusus est, ad vitam æternam ab ipso pasci: quàm panem & vinum, symbola corporis & sanguinis Domini, è manu ministri accepta, ore corporis percipio.

*a* *Matth.* 26. 26. 27. 29. *Marc.* 14. 22 23. 24. *Luc.* 22. 19. 20. *1. Corinth.* 10. 16. 17. *1. Cor.* 11. 23. 24. 25. *1. Cor.* 12. 13.

## E X P L I C A T I O.

Duplex ille finis Sacramentorum qui indicatus est *quest. 66.* exponitur hinc specialiter de cæna Domini, quæ est alterum novi Testamenti Sacramentum. Summa hæc est: Promissio Evangelii per cænam Domini *declatur*, ratione Analogiæ seu similitudinis, quam habent signa cum rebus signatis. *Signa* sunt, panis & vinum, Item fractio panis & fusio vini: *Res significata sunt*, corpus & sanguis Christi: item corporis Christi



crucifixio & sanguinis effusio. Similitudo est: Quem admodum panis in cæna frangitur: sic corpus Christi in cruce fractum, i.e. crucifixum fuit. Item quem admodum vinum in cæna funditur: sic sanguis Christi in cruce effusus est. Deinde promissio Evangelii *obsignatur* credentibus ratione applicationis, quatenus scilicet unicuique credenti, panis ille & poculum illud communicatur & ab eo accipitur. quam certò enim Christus unicuique credenti de hoc pane & vino per ministrum præbet: tam certò testatur, se pro illo esse mortuum, seu corpus suum pro illo in cruce fractum, & sanguinem suum pro illo fuisse fusum; & per hanc testificationem confirmat illius fidem, quo fit, ut is in cæna Domini spiritualiter edat corpus Christi & bibat sanguinem ejus, certamque inde spem vitæ æternæ concipiat.

## LXXVI. QUÆSTIO.

*Quid est crucifixum corpus Christi edere, & fusum ejus sanguinem bibere?*

Est non tantùm totam passionem & mortem Christi, certâ animi fiduciâ amplecti, ac per id remissionem peccatorum & vitam æternam adipisci *a*: sed etiam per Spiritum sanctum, qui simul in Christo & in nobis habitat, ita sacrosancto ejus corpori magis ac magis uniri *b*, ut quamvis ipse in cælo *c*, nos verò



verò in terra simus, nihilominus tamen caro  
simus de carne ejus, & os de ossibus ejus *b*:  
utque omnia corporis membra ab una ani-  
ma, sic nos uno eodemque Spiritu vivifice-  
mur & gubernemur *e*.

*a* Johan. 6. 35. 40. 47. 48. 50. 51. 53. 54. *b* Joh. 6. 55. 56.  
*c* Act. 3. 21. Act. 1. 9. 1. Cor. 11. 26. *d* Ephes. 5. 29  
30. 32. 1. Cor. 6. 15. 17. 19. 1. Joh. 3. 24. & 4. 13. Eph. 3.  
17. *e* Joh. 14. 23. Joh. 6. 56. 57. 58. & 15. 1. 2. 3. 4. 5. 6.  
Eph. 4. 15. 16.

## E X P L I C A T I O.

Quæritur hîc de sensu duarum phrasium scripturæ  
pertinentium ad res significatas cænæ Domini. Ex-  
tant autem illæ phrasæ in sermone quem habuit  
Christus ad Judæos in oppido Capernaum *Joan. 6.*  
Ubi docet, Beatitudinem non consistere in cibo &  
potu corporali & terreno, sed spiritali & cælesti,  
eumque cibum esse affirmat suum ipsius corpus, qua-  
tenus fractum est, pro mundi vitâ. Item eum potum  
esse suum ipsius sanguinem, quatenus fusus est pro  
mundi vitâ. Deinde docet corpus suum edi & sangui-  
nem suum bibi fide, hoc est, quatenus credimus, cor-  
pus Christi pro nobis crucifixum, itemque sangui-  
nem ejus pro nobis fustum esse. Id quod liquet ex sen-  
tentiarum inter se collatione. Nam quod *versu 35. &*  
*47.* nominavit *credere in se*, id ipsum *v. 51. 53. 54. &*  
*56.* nominat, *edere carnem ipsius & bibere sanguinem*



*ipsius.* Tum præterea docet quodnam sit effectum seu qui fructus spiritualis illius esus ac bibitionis, quum credentes carnem ipsius edunt ac bibunt sanguinem ipsius. Nempe, ut cum ipso per Spiritum S. tanquam membra cum capite subinde magis uniantur. Sicut ipse ait: ut in ipso maneant, & ipse in illis. Ubi notandum, istud effectum hinc non rectè pro altera parte formæ poni: cum tota illius spiritualis esus ac bibitionis forma in priore parte consistat; ut ex dictis patet.

## LXXVII. QUÆSTIO.

*Quo loco promisit Christus, se credentibus tam certò corpus & sanguinem suum sic edendum & bibendum daturum, quàm fractum hunc panem edunt, & poculum hoc bibunt?*

In institutione Cænæ, cujus hæc sunt verba a:

*Dominus noster Iesus Christus, ea nocte qua proditus est, accepit panem: & gratias actis, fregit ac dixit: Accipite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur: hoc facite in mei recordationem. Itidem & poculum, postquam cœnassent, dicens: Hoc poculum est novum foedus per meum sanguinem: Hoc facite, quotiescunq; biberitis, in mei recordationem. Quotiescunq; enim ederitis panem hunc*



*hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini  
annunciate, donec venerit. Hæc promissio à  
Paulo repetitur, cum inquit: Poculum gratiarum  
actionis, quo gratias agimus, nonne communio est  
sanguinis Christi? Panis, quem frangimus, nonne  
communio est corporis Christi? quoniam unus pa-  
nis, unum corpus multi sumus b. Nam omnes  
unius panis participes sumus.*

*a 1. Cor. 11. 23. &c. Matth. 26. 26. &c. Marc. 14. 22.  
&c. Luc. 22. 19. &c. Heb. 9. 20. b 1. Cor. 10. 16. 17.*

## E X P L I C A T I O.

Doctrina proposita de certitudine obfignationis,  
quâ obfignatur promissio Evangelii per cœnam Do-  
mini: Itemque de illius obfignationis effectu, videl.  
fidei exercitatione & confirmatione, probatur testi-  
monio institutionis cœnæ Domini, ut ea descripta  
extat 1. Cor. 11. Cujus institutionis duæ sunt partes.  
Prior de pane, posterior de poculo. In utraque parte  
narrantur duo. i. quid Dominus egerit circa illa, de-  
inde quid de eis dixerit, quod utrumque in principio  
illustratur ab adjuncto tempore seu circumstantia  
temporis, quando illa facta sint. i. Primùm igitur quod  
circa panem egit Dominus, est quod primò panem  
accepit: secundò, gratias Patri super illo egit: ter-  
tiò, panem illum fregit: quartò, fractum dedit di-  
scipulis. Atque hisce actionibus panem illum in Sa-  
cramentum sui corporis consecravit, sicut percipitur



ex illis, quæ de eo dicit. Ea sunt numero tria. Primum iussit illum accipere & edere. Deinde docuit, in quem usum seu finem illum panem ordinasset; destinasse videlicet illum in sacramentum sui corporis, quo testetur, corpus suum pro ipsis esse fractum. Tertio mandatum illud repetivit, & panem illum ad finem modò expositum ab eis edi jubet, ubi ait, *Hoc facite in mei recordationem.* Et hæc de pane. Circa poculum similiter quatuor egit. 1. accepit. 2. gratias super illo egit. 3. Vinum aut infudit ipse, aut per ministrum infundi curavit. 4. dedit ipsum discipulis. Atque istis actionibus poculum illud consecravit in sacramentum sanguinis sui; quo testificatur, sanguinem suum pro nobis effusum esse in remissionem peccatorum: Ea quæ dixit de poculo, similiter tria sunt. 1. iussit illud accipere & ex eo bibere. 2. docuit ad quem usum seu finem illud consecrasset, nempe ut sit Sacramentum sui sanguinis, ut modò dictum est. 3. mandatum illud de poculo bibendo repetivit, & ad finem illum expositum referri iussit. 4. Postremò verba illa mandati utriusque ab Apostolo declarantur specialius, ubi ait, *Quotiescunque &c.* Postea doctrina illa de fine & usu horum symbolorum declaratur verbis Pauli ex *1. Cor. 11.* ubi per communionem metonymicè intelligendum est symbolum communionis, quam in corpore & sanguine Christi tanquam communi bono habent omnes credentes; ut qui sunt veluti unus panis, & unum corpus; cujus unionis imago quædam extat in unitate panis Domini, quem participant. QUÆ-



## LXXVIII. QUÆSTIO.

*Num ergo panis & vinum fiunt ipsum corpus  
& sanguis Christi?*

Nequaquam: Verùm, ut aqua baptismi in sanguinem Christi non convertitur, nec est ipsa peccatorum ablutio, sed symbolum tantùm & pignus earum rerum, quæ nobis in Baptismo obsignantur: ita nec panis Cænæ Dominicæ, est ipsum corpus Christi *a*: Quanquam pro ratione Sacramentorum, & usitata Spiritui sancto de his loquendi forma *b*, panis, Christi corpus appellatur.

*a Matth. 16. 29. Marc. 14. 24. 1. Cor. 10. 16. 17. 1. Cor. 11. 26. 27. 28. b Gen. 17. 10. 14. 19. Exod. 12. 27. 43. 48. & 13. 9. Act. 7. 8. Exod. 24. 8. & 29. 36. Levit. 16. 10. & 17. 11. Jes. 6. 6. 7. Act. 22. 16. Tit. 3. 6. 1 Pet. 3. 21. 1. Cor. 10. 1. 2. 3. 4.*

## E X P L I C A T I O.

Sequitur objectio:

*Christus de pane dixit, Hoc est corpus meum, &  
de poculo, Hoc est sanguis meus.*

*Ergò panis & vinum fiunt ipsum corpus & ipse  
sanguis Christi.*

Id quod in Papatu transubstantiationem vocant.  
Negatur consequentia. Propositio Syllogismi con-  
nexi omissa, nempe,



*Si Christus dixit, panem esse corpus suum & vinum sanguinem suum; Ergo panis & vinum transsubstantiantur.*

Hæc itaque propositio negatur, & negatio probatur à pari, videl. ab exemplo baptismi, qui nominatur ablutio peccatorum *Act. 22. v. 16.* Et tamen non est illa ipsa ablutio. Deinde declaratur, qua ratione panis & vinum cœnæ Domini appelleretur corpus & sanguis Christi, videl. ratione sacramentali, id est, metonymicè, nempe per metonymiam subjecti, qua scilicet nomina rerum significatarum tribuuntur signis ex more scripturæ, ut *Gen. 17. v. 10. Exod. 12. v. 27.*

## L X X I X. Q U Æ S T I O.

*Cur ergo Christus panem appellat suum corpus, calicem verò suum sanguinem, seu novum foedus per suum sanguinem: Paulus item panem & vinum communionem corporis & sanguinis Christi?*

Christus non sine gravi causa sic loquitur: videlicet non solùm ut nos doceat, quemadmodum panis & vinum corporis vitam sustentant: sic etiam crucifixum suum corpus & effusum suum sanguinem, verè esse animæ nostræ cibum ac potum, quo ad vitam æternam nutriatur, verùm multò magis, ut hoc visibili



visibili signo ac pignore nobis certum faciat, nos non minùs verè corporis & sanguinis sui per operationem Spiritus sancti, participes esse, quàm sacra ista symbola, in ejus memoriam, ore corporis percipimus *b*: Tum etiam, quòd ejus passio & obedientia, tam certò nostra sit, quàm si ipsimet pro nostris peccatis poenas dedissemus, & Deo satisfacissemus.

*a* Job. 6. 51. 55. *b* 1. Cor. 10. 1. 17.

## E X P L I C A T I O.

Exponuntur hïc tres causæ cur Christus eâ metonym. uti voluerit, quæ tamen in unum recidere nec nisi modo loquendi differre videntur, nisi quòd secunda à prima distingui potest ratione meriti & efficacix Christi, quibus nos servat. Summa est: *Christus ita loqui voluit, ut melius nobis declararet & obsignaret promissionem Evangelii.*

## L X X X. Q U Æ S T I O.

*Quid interest inter Cœnam Domini, & Missam Papisticam?*

Cœna Domini nobis testatur, nos perfectam remissionem omnium nostrorum peccatorum habere, propter unicum illud Christi sacrificium quod ipsemet semel in cruce peregit *a*: Tum etiam nos per Spiritum



sanctum inferi Christo *b*, qui jam secundum naturam suam humanam, tantum in caelis est ad dexteram Patris *c*, ibique vult à nobis adorari *d*.

In Missa autem negatur, vivos & mortuos habere remissionem peccatorum propter unicam Christi passionem, nisi etiamnum quotidie Christus pro ipsis à sacrificulis offeratur: Tum etiam docetur, Christum corporaliter sub speciebus Panis & Vini esse, ideoque in illis adorandum esse *e*. Atque ita ipsum Missæ fundamentum, nihil aliud est, quàm abnegatio unici illius sacrificii & passionis Jesu Christi *f*, & execranda idololatria.

*a* Hebr. 7. 26. 27. & 9. 12. 26. 27. 28. & 10. 10. 12. 14. Johan. 19. 30. Matth. 26. 28. Luc. 22. 19. 20. b 1. Cor. 5. 17. & 10. 16. & 12. 13. c Heb. 1. 3. & 8. 1. d Job. 4. 21. 22. 23. & 20. 27. Luc. 24. 52. Act. 7. 55. 56. Col. 3. 1. Phil. 3. 20. 1. Thes. 1. 10. e In Canone Missæ. Item de consecr. dist. 2. f Heb. 9. & 10.

## E X P L I C A T I O.

Instituitur antithesis inter Cænam Domini, & missam Papisticam, ut intelligatur missam non esse cænam Domini sed potius illius everisionem. Hæc  
anti-



antithesis duarum potissimum est partium, quarum prior est de remissione peccatorum, posterior, de loco ubi nunc Christus est. Quod ad priorem partem attinet, Cæna Domini testatur, nos remissionem peccatorum jam habere, idque propter unicum sacrificium Christi in cruce oblatum: Contrà missa falsò persuadet hominibus, eos remissionem peccatorum consequi, per hoc ipsum fictitium sacrificium corporis Christi sub specie panis. Jam quod ad posteriorem partem attinet: Cæna Domini testatur, Christi corpus jam non esse in terris, sed in cælo. Celebratur enim ad annuntiandum ejus mortem donec venerit, id est, donec è cælo redierit ad judicium. Contrà missa fingit, Christi corpus sub specie panis, & sanguinem ejus sub specie vini esse. Præterea in Cæna Domini sursum attolluntur corda in cælum, ubi Christus est. *Coloss. 3.* & ibi eum in Spiritu adorant. Contrà in missa adoratur Christus in elementis, in crustulo panis, quod hostiam vocant, tanquam illic inclusus. Huic antithesi annectitur corollarium, *Missam nil aliud esse, quàm abnegationem sacrificii Christi, & execrandam idololatriam.*

## LXXI. QUÆSTIO.

*Quibus accedendum est ad mensam Domini?*

Tantum iis, qui verè dolent, se suis peccatis Deum offendisse: confidunt autem sibi ea propter Christum remissa esse: & quas reli-



quas habent infirmitates, eas passione & morte illius obteatas esse, quique desiderant magis ac magis in fide & integritate vitæ proficere. Hypocritæ autem, & qui non verè respiscunt, damnationem sibi edunt & bibunt a.

a 1. Cor. 10. 21. & 11. 28. & c.

## E X P L I C A T I O.

Docetur hîc, qualesnam ii esse debeant, qui ad mensam Domini accedere volunt. Exponuntur enim tria adjuncta illorum convivarum, videlicet pœnitentia, fides, & nova obedientia, seu studium pietatis. Deinde propositum confirmatur à damno effectui contrarii, nempe hypocriscos: quod argumentum concluditur hoc Syllogismo:

*Hypocrita sibi in cœna Domini edunt & bibunt damnationem.*

*At nemo qui ad cœnam Domini accedit, vult edere & habere damnationem.*

*Nemo igitur qui ad cœnam Domini accedit, debet esse hypocrita, & per consequens. Quicumque accedunt, in eis debet esse pœnitentia, fides, & nova obedientia.*

## L X X I I . Q U Æ S T I O .

*Suntne illi etiam ad hanc cœnam admittendi, qui confessione & vitâ se infideles & impios esse declarant?*

**Nequaquam.** Nam eo pacto fœdus D E I  
pro-



profanatur, & ira Dei in universum coetum concitatur a. Quocirca Ecclesia, ex praescripto Christi & Apostolorum, hos, clavibus regni caelorum utens, à Coena arcere debet, quoad resipuerint, & mores mutaverint.

b. 1. Cor. 11. 20. 34. Jes. 1. 11. & 66. 3. Jer. 7. 21. Psalm. 50. 16.

## E X P L I C A T I O.

Agitur hic de excommunicatione, *Quinam sint excommunicandi*, hoc est, à communione S. Coenae excludendi, videlicet manifestè impii. Eorum a. duo genera indicantur, alterum eorum qui profitentur impiam doctrinam: alterum eorum, qui degunt impiam vitam. Hos autem esse excommunicandos, probatur quatuor argumentis, quorum duo prima ab effectis, duo posteriora à testimoniis sumpta sunt. Primum effectum probatur ex Psalm. 50. v. 16. Secundum effectum probatur ex 1. Cor. 11. v. 30. Primum testimonium extat Matth. 18. v. 12. 1. Cor. 5. v. 4. Alterum testimonium extat. 1. Cor. 5. v. 5.

## L X X X I I I. Q U A E S T I O.

*Quid sunt claves regni caelorum?*

Prædicatio Evangelii, & Ecclesiastica disciplina: quibus caelum credentibus aperitur; infidelibus autem clauditur c.

c. Matth. 16. 19, & 18. 18.



Quoniam superiore quaestione facta est mentio clavium regni caelorum: quaeritur nunc, *quenam ille claves sint*, hoc est, quidnam eo nomine intelligendum sit, videlicet *praedicatione Evangelii & disciplina Ecclesiastica*; quae sic nominantur per metaphoram. Cujus ratio in responsione indicatur. De his clavibus vide *Matth. 16. v. 19. Joh. 20. v. 21. &c.* Ubi notandum, claves istas apud Matthaeum promitti nominatim Petro, non quod ad illum solum pertinerent; pertinebant enim ad caeteros quoque Apostolos, eorumque successores, ut manifestè liquet ex collatione cum loco altero *Joh. 29.* Sed quòd solus Petrus eo tempore Christum confessus fuerat. Veruntamen non suo solum nomine, sed & caeterorum Apostolorum: ut apparet ex collatione *v. 16. 17.*

## LXXXIV. QUÆSTIO.

*Quo pacto aperitur & clauditur regnum caelorum praedicatione Evangelii?*

Cùm ex mandato Christi, credentibus universis & singulis publicè annuntiatur, omnia peccata ipsis divinitus propter meritum Christi condonari, quoties promissionem Evangelii vera fide amplectuntur: Contrà verò omnibus infidelibus & hypocritis



critis denunciatur, tantisper ipsis iram Dei, & æternam condemnationem incumbere: dum in suis sceleribus perseverant *a*: secundum quod Evangelii testimonium, Deus tam in præsentibus, quàm in futura vita iudicaturus est.

*a* Job. 20. 21. 22. 23. Matth. 16. 19.

E X P L I C A T I O.

In hac quæstione duo tractantur. Primum de administratione clavium, quæ fit prædicatione Evangelii: secundò de administrationis illius efficacia. Administratio potestatis clavium quæ fit prædicatione Evangelii declaratur hîc distributione ex oppositis partibus: quæ ipsæ partes sunt effecta respectu prædicationis Evangelii. Partes illæ sunt; Aperire regnum cælorum; & claudere illud idem. Prima pars, nempe *aperire regnum cælorum* describitur: quod sit talis administratio potestatis clavium: qua ex mādato Christi credentibus universis & singulis publicè annuntiat omnia peccata ipsis divinitùs propter meritum Christi condonari, quoties promissionem Evangelii verâ fide amplectuntur. In qua definitione hæc considerata sunt. 1. Genus; quod in quæstione est omissum, nempe quod sit administratio potestatis clavium. 2. Causa efficiens principalis, nempe Christus, sive mandatum Christi & institutio hujus potestatis: unde jam dependet autoritas & efficacia hu-



Jus administrationis. Illud autem mandatum habetur *Marc. 16. v. 15. & 16.* Profecti in mundum universum *pradicate evangelium* omni creaturæ: Qui crediderit & baptizatus fuerit *servabitur*: qui verò non crediderit *condemnabitur*. 3. Subjectum occupans sive objectum: Quibus annuncianda est remissio peccatorum? *Credientibus*: h. e. Non omnibus promiscuè, qui se ejusdem ecclesiæ membra profitentur, sed illis tantùm, qui credunt. Hoc subjectum declaratur distinctione credentiũ in universos & singulos. 4. Causa ministra, quæ innuitur vocabulo *Publicè*. Solis enim ministris verbi illa potestas est concessa, *Matth. 16. 19. & Joh. 20. v. 21. 22. 23.* 5. Relatum sive signatum: quòd videlicet annunciatio illa remissionis peccatorum non sit nuda, sed fundamentum suum habeat in mente Dei, qui revera solus peccata remittere potest. Id quod innuitur vocabulo *divinitus*. 6. Indicatur hïc causa impulsiva externa istius remissionis peccatorum, videlicet meritum Christi. 7. Ipsa peccata declarantur distributione, quæ distributio innuitur vocabulo *Omnia*: quasi dicat. Non solùm peccatorum actualium sed & originalis peccati: non solùm peccatorum omissionis sed & commissionis remissio annunciatur. 8. Declaratur illa remissio peccatorum, ex causa sine qua non, quæ est amplexatio promissionis evangelii, quæ amplexatio declaratur ex causa instrumentali, quæ est fides: quæ ipsa hïc declaratur ex adjuncta veritate, id est, sinceritate.

Jam è contrario altera pars administrationis potestatis



testatis clavium definitur, quòd sit denunciatio iræ Dei & æternæ condemnationis. Declaratur hoc primum ex subiecto occupante. Quibus nempe annuncianda sit ira Dei: nempe infidelibus. Per infideles autē hîc non intelliguntur extranei, hoc est, ii qui sunt extra ecclesiam visibilem, 1. Cor. 5. v. 12. 13. *Quid enim meâ interest, ait Apostolus, etiam extraneos judicare? nonne eos qui intus sunt vos judicatis? Extraneos vero Deus judicat.* Sed intelliguntur illi, qui fidē Christianam quidem profitentur, atque ita ejusdem ecclesiæ visibilis membra sunt: fide tamen in Christum non sunt donati. Secundo loco declaratur illa denuntiatio iræ Dei à causa procreante & conservante, ibi *Tantis per dum in suis sceleribus perseverant.*

Jam ad alteram partem quæstionis quod attinet, quæ agit de efficacia hujus administrationis, docetur hîc, quod Deus illam prædicationis Evangelii vocem ratam sit habiturus, & secundum illud testimonium judicis officium peracturus, hoc est, sententiam vel absolutoriam vel condemnatoriam laturus. Porro hæc actio Dei tanquam judicis declaratur ex adjuncto tempore per distributionem, ibi *Tam in presenti, quam in futura vita.* Per judicium Dei in vita præsentis intelligitur illud Dei judicium, quo Deus in mente hominis tribunal quasi erigit, eumque in conscientia ipsius vel absolvit vel condemnat. Per judicium autem Dei in vita futura intelligitur actus ille judicii, qui describitur *Matth. 25.* ubi Christus tanquam justus iudex sententiam feret.



*Quo pacto clauditur & aperitur regnum cælorum  
per disciplinam Ecclesiasticam?*

Cùm ex mandato Christi, ii qui nomine quidem sunt Christiani, verùm doctrina aut vita se ostendunt à Christo alienos *a*, postquam aliquoties fraternè admoniti, ab erroribus aut flagitiis discedere nolunt, Ecclesiæ indicantur, aut iis, qui ab Ecclesia ad eam rem sunt constituti. Ac si ne horum quidem admonitioni pareant: ab iisdem interdictione Sacramentorum, ex cœtu Ecclesiæ, & ab ipso Deo, ex regno Christi excluduntur: ac rursus, si emendationem profiteantur, & re ipsa declarent: tanquam Christi & Ecclesiæ membra recipiuntur *b*.

*a Rom. 10. 8. 1. Corinth. 12. 21. 1. Tim. 5. 17. 1. Cor. 5. 4. 2. Corinth. 2. 6. b Matth. 18. 15. 16. 17. 18. 1. Cor. 5. 3. 2. Thes. 3. 14. 15. 2. Joh. 2. 10. 11. 2. Cor. 2. 6. 7. 10. 11.*

## E X P L I C A T I O.

Quæritur hîc de duplici usu alterius clavis regni cælorum, quæ dicitur disciplina ecclesiastica: cujus itidem duæ sunt partes seu officia: nempe. 1. Claudere regnum cælorum. 2. Aperire iterum. Priusquam



quam verò de duabus istis partibus agatur; obiter notandum discrimen duplex duarum istarum clavium, videlicet prædicationis Evangelii & disciplinæ Ecclesiasticæ. Nam primùm prædicatio Evangelii ex intentione ministri magis respicit universum cœtum; non autem hoc vel illud individuum: disciplina verò ecclesiastica exercetur in certa individua, quæ illius cœtus membra sunt. Deinde in prædicatione Evangelii primùm & principaliter annunciatur remissio peccatorum credentibus: ex consequenti verò denuntiatur ira Dei non-credentibus sive infidelibus. At in ecclesiastica disciplina præcedit exclusio ex cœtu ecclesiæ: sequitur deinde receptio in eandem, si exclusus egerit pœnitentiam: sive clauditur primùm, deinde aperitur iterum regnum cœlorum.

Jam ad partes quæstionis quod attinet: describitur hîc primùm; Quid sit claudere regnum cœlorum; nempe ex cœtu ecclesiæ aliquem excludere. Hoc jam declaratur. 1. A causa efficiente principali, videlicet mandato Christi. Illud autem mandatum habetur, *Matth. 18. v. 17. Quod si ecclesiam audire neglexerit, sit tibi velut ethnicus & publicanus*: Et *1. Corinth. 5. v. 4. 5. Vobis & meo Spiritu in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis, cum potentia, Domini nostri Jesu Christi, ejusmodi, inquam, homo tradatur Satanae*. 2. Ex subjecto occupante: Quinam sunt excludendi? Qui alieni sunt à Christo. Hoc declaratur p̄rtim ex diversis, partim distributione. 1. Ex diversis: Etsi nomine sunt Christiani, hoc est, etsi



profitentur fidem Christianam, tamen non sunt verè Christiani, sed à Christo sunt alieni. 2. Ex loco distributionis: Alieni sunt à Christo duplici ratione: doctrina vel vita. Per illos qui doctrinâ à Christo alieni sunt, intelliguntur hæretici, qui talia docent, quæ fundamentum salutis evertunt. Aliàs pii etiam doctores ecclesiæ in doctrina errare possunt, (non tamen fundamentaliter) qui propterea tamen non statim excommunicandi sunt. Ad vitam quod attinet, alieni à Christo existimandi sunt, qui publicis sceleribus & flagitiis se polluerunt, & in illis flagitiosè ac pertinaciter perseverant.

Tertiò indicatur forma seu modus agendi, qui observari debet in fratre, (hoc est, illo qui se fratrem profitetur) excommunicando. Iste autem modus declaratur per partes: Primùm admonendus est: deinde indicandus ecclesiæ: si admonitio non habuerit locum. Admonitio declaratur partim ex causa procreante, quatenus fraterna esse debet, hoc est, ex dilectione illius tanquam fratris profecta: partim ex adjunctâ iteratione: quòd debeat esse repetita, si videlicet primæ admonitioni non dederit locum, ibi, *Aliquoties admoniti*: Atque ita duo gradus indicantur hujus admonitionis, de quibus Christus distinctè agit *Matth. 18.* Primus gradus est, ut arguamus illum privatim, & si resipiscentiæ signa ostenderit, acquiescamus, *Matth. 8. vers. 15.* Alter gradus est, ut, si primâ illâ admonitione nihil profecerimus, iterum illum arguamus: idque adhibito



bito uno aut duobus testibus *Matth. 18. vers. 16.*  
 Altera pars istius correctionis (qui apud Matthæum  
 est tertius gradus) est: ut si istis admonitionibus nihil  
 profecerimus, deferamus illum ad ecclesiam. Hoc  
 ipsum declaratur interpretatione nominis, nempe  
 per ecclesiam intelligi hîc eos qui ab ecclesia ad eam  
 rem sunt constituti, hoc est, presbyterium sive con-  
 fessum seniorum, qui nomine ecclesiæ moribus sin-  
 gulorum gubernandis atque ex verbo Dei corrigendi  
 præsumunt. Atque hi tres gradus sunt antecedens  
 excommunicationis. Quod si igitur ne ecclesiam  
 quidem audire voluerit; excommunicandus est: hoc  
 est, iudicio sive sententia presbyterii declarandus est  
 esse alienus ab ecclesia seu populo Dei. Hæc ex-  
 communicatio porro declaratur ex effectu, & ad-  
 juncta significatione. Effectum est, quòd is qui ex ec-  
 clesiæ cætu exclusus est, simul etiam caret beneficiis,  
 quæ peculiariter credentibus & pœnitentibus Deus  
 destinavit, quale beneficium est usus Sacramentorû.  
 Ubi per Synecdochen generis intelligendus est usus  
 cænæ dominicæ. Cum enim habitus antea fuerit pro  
 membro ecclesiæ, necesse fuerit eum Sacramentum  
 initiationis, Baptismum videlicet jam habuisse. Dum  
 verò Catechesis mentionem tantum facit interdi-  
 ctionis usus Sacramentorum, liquet excommunica-  
 tum non prohiberi ab auditione verbi seu prædica-  
 tionis Evangelii: utpote quæ medium est, quo possit  
 excommunicatus redire ad resipiscentiam. Adjuncta  
 significatio istius excommunicationis est hæc: quòd



illa exclusione ex cœtu ecclesiæ significatur, illum esse exclusum ab ipso Deo, hoc est, à gratiâ Dei & illius favore, & ex regno Christi.

Altera pars disciplinæ ecclesiasticæ est Aperire regnum cœlorum. Hoc declaratur. 1. Descriptione: quod sit recipere excommunicatum in ecclesiam, & pro membro ecclesiæ ac Christi cum habere. 2. Ex adjuncto antecedente, quod habet vim causæ impellentis respectu ecclesiæ, quod recipiendus sit tum demum, si prius emendaverit errorem, sive in doctrinâ sive in vitâ admissum. Hoc ipsum declaratur distributione ex oppositis. Non sufficit emendationem profiteri, sed oportet re ipsa declarare. Cæterum ecclesiasticæ hujus disciplinæ exemplum extat *1. Cor. 5. v. 4.* ubi Apostolus ex ecclesia Corinthiorum excommunicat quendam Corinthium, qui scortatus fuerat cum noverca: quem posteaquam egisset pœnitentiam, in ecclesiam recepit, *2. Corinth. 2. v. 7.*

*Ec.*

PARS





## P A R S III.

D E G R A T I T U -  
D I N E.

## LXXXVI. QUÆSTIO.

*Cùm ab omnibus peccatis & miseriis sine ullo nostro merito, solâ Dei misericordiâ propter Christum liberati simus, quid est cur bona opera faciamus?*

Quia postquam nos Christus suo sanguine redemit, renovat nos quoque suo Spiritu ad imaginem sui, ut tantis beneficiis affecti, in omni vita nos erga Deum gratos declaremus *a*, & ipse per nos celebretur *b*. Deinde, ut nos quoque, ex fructibus, de sua quisque fide certi simus *c*. Postremò ut vitæ nostræ integritate alios Christo lucrifaciamus *d*.

*a Rom. 6.13. & 12.1.2. 1. Pet. 2.5.9.10. 1. Corinth. 6.20.*

*b Matth. 5.16. 1. Pet. 2.12. c 2. Petr. 1.10. Matth. 7.*

*17. Gal. 5.6.22. & 1. Pet. 3.1.2. Rom. 14.19.*



## E X P L I C A T I O.

Ad tertiam Catecheseos partem transitur hîc per prolepsin. Objectio.

*Si non meremur vitam aeternam bonis operibus:  
ergò non est cur bona opera faciamus.*

*At verum anteedens.*

*Ergò & consequens.*

Assumptio probatur à contrario, quia vitam aeternam consequimur ex mera gratia, & misericordia Dei. Negatur propositio connexa, & negationis ratio est quia unius rei plures esse possunt causæ. Ergò ex negatione unius causæ non sequitur negatio ceterarum; & omnino ex negatione speciei, non sequitur negatio generis. Exponuntur ergò tres causæ cur bona opera facere debeamus, id est, tres fines bonorum operum. 1. *Gloria Dei.* 2. *Certitudo fidei nostra* 3. *Ædificatio proximi.* Sic una causa reperitur in Deo, altera in nobis, tertia in proximo. Cæterùm gloria Dei per bona opera nostra illustratur, quatenus iis nos erga Deum gratos declaramus, pro summis erga nos beneficiis. Fides nostra nobis certius per bona nostra opera innotescit, quatenus bona opera sunt fidei fructus. Proximus per bona nostra opera ædificatur, quatenus ex illis de doctrina, quam profiteremur, iudicium facit, & ita ad eam amplectendam incitatur. Porro præter fines indicatur etiam efficiens causa bonorum operum, videlicet renovatio sive regeneratio per Spiritum sanctum.

Quæ.



## LXXXVII. QUÆSTIO.

*Non possunt igitur illi servari, qui ingrati, & in peccatis securè persistentes, sua pravitate ad Deum non convertuntur?*

Nullo modo: Nam, ut scriptura testatur, nec impudici, nec idololatræ, nec adulteri, nec fures, nec avari, nec ebriosi, nec conviciatores, nec raptores, hæreditatem regni Dei consequentur e.

## E X P L I C A T I O.

Agitur hîc de bonorum operum necessitate, & docetur, bona opera esse necessaria ad salutem, ut sine quibus servari nemo possit. Id quod confirmatur testimonio Pauli *1. Corinth. 6. v. 9. 10.* Sunt autem bona opera necessaria ad salutem, non quidem ad promerendam salutem & gratiam Dei, salutis fontem, quippe quam solus Christus suâ morte nobis promeritus est, sed ad possessionem plenam, fruitionemque salutis per Christum partæ consequendam. Sicut ascensio montis necessaria est ad fruendum thesauro in cacumine montis sito, & alicui donato, cum hac conditione ut ascendat & accipiat.



*Quibus partibus constat conversio hominis  
ad Deum?*

Mortificatione veteris *a*, & vivificatione  
novi hominis.

*a Rom. 6. 4. 5. 6. Ephes. 4. 22. 23. 24. Coloss. 3. 5. 6. 8. 9. 10.  
1. Cor. 5. 7. 2. Cor. 7. 11.*

## E X P L I C A T I O.

Quia dictum est conversionem esse necessariam  
ad salutem, agitur deinceps de conversione, & hinc  
illius partes indicantur. Intelligitur autem hinc nomi-  
ne conversionis nova obedientia seu studium pieta-  
tis, quod & sanctificatio dicitur. *1. Thess. 4. v. 3.* Alias  
enim significat poenitentiam.

## LXXXIX. QUÆSTIO.

*Quid est mortificatio veteris hominis?*

Verè ex animo dolere, quòd peccatis tuis  
Deum offenderis, eaque magis ac magis o-  
disse & fugere *a*.

*a Rom. 8. 13. Joël. 2. 13. Ose. 5. 15. & 6. 1.*

## E X P L I C A T I O.

Prior conversionis pars quæ dicitur mortificatio  
veteris hominis, declaratur ex tribus partibus, quæ  
sunt. *1. dolores ob admissa peccata. 2. odium peccatorum.  
3. eorum-*



3. *eorundem fuga.* Sed brevius & rectius videtur ita definienda, quòd sit peccato in nobis vim suam exerenti per gratiam Spiritus S. resistere, & cupiditates pravas reprimere, non autem eis indulgere.

X C. Q U Æ S T I O.

*Quid est vivificatio novi hominis?*

Vera lætitia in Deo per Christum c, & serium ac promptum studium instituendi vitam ex voluntate Dei, omniaque bona opera exercendi d.

c *Rom. 5. 1. & 14. 17. Jes. 57. 15.* d *Roman. 6. 10. 11. Gal. 2. 20.*

E X P L I C A T I O.

Posterior conversionis pars, quæ dicitur vivificatio novi hominis, declaratur item tribus partibus, quæ superioribus oppositæ sunt. 1. *lætitia ex peccatorum remissione.* 2. *amor pietatis.* 3. *studium pietatis.* Hic tamen secunda pars non exprimitur, sed in tertia comprehenditur, tanquam effectum in causa. Brevius tamen & rectius sic possumus definire: quòd sit, Spiritui S. ad bona opera instiganti, alacriter obsequi.

X C I. Q U Æ S T I O.

*Quæ sunt bona opera?*

Tantum ea, quæ ex vera fide e, secun-

G



dum Legem Dei fiunt *f*, & ad ejus solius gloriam referuntur *g*: Non ea autem, quæ à nobis opinione recti conficta, aut ab hominibus tradita sunt *h*.

*e* Rom 14.23. *f* 1.Sam.15.22. Ephes.2.10. & 6.17.

*g* 1.Cor.10.31. *h* Deut.12.31. Ezech.20.18.19.

Jes.29.13. Matth.15.9.

## E X P L I C A T I O.

Quoniam gratitudo nostra erga Deum redemptorem nostrum consistit in studio bonorum operum, traditur hic illorum definitio, cujus differentia trimēbris est, è triplici causa: efficiente, forma & fine. Efficiens est *fides*; forma, *cōvenientia cū lege Dei*; finis, *gloria Dei*. Hujus differentia membrum secundum illustratur à disparatis duobus, videl opinione recti, & traditione humanâ. Posset etiam brevius definiri: Bonum opus est factū secundum legem Dei. Qua definitione comprehenduntur hę causę. Et ut peccatum sive malum opus est *à propria*; sic bonum opus *cōpropria*.

## X C I I. Q U Æ S T I O.

*Quæ est Lex Dei?*

*Loquutus est Deus omnia verba hæc i.*

*i* Exod.20. Deut.5.6.

Primum præceptum.

*Ego sum Dominus Deus tuus, qui edu-*

*xi te*



*xi te ex Aegypto, domo servitutis: Non habebis deos alienos in conspectu meo.*

**Secundum.**

*Ne sculpas tibi simulacrum, nec ullam imaginem effingas eorum, quæ aut supra sunt in cælo, aut infra in terra, aut in aquis sub terra: neque incurves te illis, neque colas ea. Ego enim sum Dominus, Deus tuus, fortis, zelotes, vindicans peccata patrum in filiis, idq; in tertia & quarta progenie eorum qui oderunt me: & misericordia utens in millesimam eorum, qui diligunt me, & observant præcepta mea.*

**Tertium.**

*Ne usurpes nomen Domini Dei tui temere. Neque enim Dominus dimittet eum impunitum, qui nomen ejus vanè usurpaverit.*

**Quartum.**

*Memento ut diem Sabbathi sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omne*



opus tuum. At septimo die Sabbathum erit Domino Deo tuo. Non facies ullum opus, nec tu, nec filius tuus, nec filia tua, nec servus tuus, nec ancilla tua, nec jumentum tuum, nec advena, qui est intra portas tuas. Nam sex diebus fecit Deus cælum, terram, mare & quæcunque in eis sunt, & requievit die septimo, ideoque benedixit diei Sabbathi, & sanctificavit eum.

Quintum.

Honora patrem tuum & matrem tuam, ut diu vivas in terra, quam tibi Dominus Deus tuus daturus est.

Sextum.

Non occides.

Septimum.

Non committes adulterium.

Octavum.

Non furaberis.

Nonum.

Non dices contra proximum tuum falsum testimonium.

Deci-



## Decimum.

*Non concupisces domum proximi tui, nec concupisces uxorem proximi tui, nec servum eius, nec ancillam, nec bovem, nec asinum, nec quicquam eorum, quæ sunt proximi tui.*

## E X P L I C A T I O.

Quia forma bonorum operum est consensio cum lege Dei, ideo deinceps recitatur illa ex *Exod. 20.* & *Deut. 5.* Lex Dei sive Decalogus constat proœmio, & decem præceptis. Proœmio continetur descriptio legislatoris, adhibita ad demonstrandũ æquitatem postulatorum, atq; ita ad excitandum populum Dei, ad obedientiam Legislatori præstandam. Est autem illa descriptio trimembris. 1. membrum est quasi à forma Dei, quæ significatur nomine ipsius proprio *Jehováh*, quo notatur æterna & immutabilis Dei essentia, & potentia, ut qui sit à seipso, & à quo sunt cætera omnia. Cum igitur Legislator populum suum creaverit, jure creationis postulat ab eis obedientiam. 2. ab adjuncto inhærente, videl. benevolẽtia Dei singulari erga populum suum, quam per promissionem fœderis gratiæ significavit, ut notatur his verbis: *Deus tuus.* Æquum est a. ut qui nobis bene vult, ei vicissim bene velimus, & gratificari studeamus.



Latet etiam hîc alterum argumentum à jure promissionis. Nam in federe promisit populus Deo obedientiam, ergo tenetur eam præstare. Tertium membrum est à facto, videl. singulari beneficio, quo Deus populum Israëliticum recens affecerat, educens illum ex servitute Ægyptiaca. Æquum est a. ut benefactori gratiam referre studeamus. Adhæc latet hîc alterum argumentum à jure domini ex redemptione orto. Nam Deus populum Israëliticum redemit à potestate Pharaonis. Ergo habebat singulare dominium in hunc populum, ut ei tenerentur, tanquã servi suo domino, obedire, quæ redemptio etsi ad nos non spectat: tamen ad nos spectat redemptio longè major per illam adumbrata, videl. è potestate Diaboli per Christum Mediatorem. Atq; hæc de præmio. Ad præcepta quod attinet, quomodo illa distribuantur ex objectis, indicabitur quæstione sequente. Interim tenenda distinctio à forma, quòd scil. alia sunt *imperativa*, alia *prohibitiva*; quorũ illa *affirmativa*, hæc *negativa* appellari solent. Imperativa duo sunt, quartum & quintum: Reliqua omnia prohibitiva. Porro quod ad sensum singulorum attinet, intelligenda sunt synecdochicè, per synecdochen scilicet membri, aut speciei, sicut in singulorum declaratione apparebit.

*Locutus est*] Scilicet per Angelos, i. e. aliquem ex Angelis, ad *Heb. 2. v. 2. Gal. 3. v. 19 Act. 7. v. 53.* idque è monte Sinai, in deserto, cùm præcessissent tonitrua



trua & fulgura & clangor buccinæ, & mons nube obductus esset, igne arderet, & fumaret. Denique cùm terribilis rerum facies esset, *Exod. 19. v. 16. 18.* astante inferiùs populo Israëlitico, & vocem Dei audiente, *ibid. v. 24.* Cæterùm terribilia illa signa præsentia Dei, notabant naturam Legis: quæ hominem terret, propter adjectam comminationem illam, *Maledictus omnis qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis, ut ea faciat.* unde Apostolus ait, quòd Lex iram operetur: item quòd occidat.

*Dominus*] Hebr. **יהוה** i. e. is qui est à seipso, & à quo sunt cætera omnia, æternus scil. ille & omnipotens Deus. Ergo, ut creator, jus habuit imperandi populo Israëlitico ac nobis omnibus. Ac proinde æquum est, ut illi obediamus.

*Deus tuus*] Hebraicè *Dii tui*, quâ voce notatur mysterium Trinitatis. Respicit autem his verbis ad formulam promissionis comprehensæ in federe gratiæ, quod pepigit cum Abrahamo, & posteris ejus *Gen. 17.* Ergo æquum erat, ut pro hoc singulari beneficio se gratos declararent; ut qui repudiatis aliis populis ab ipso electi essent; & quoniam in federe obedientiam promiserant, ut etiam his verbis officii admonerentur.

*Qui eduxi*] Cōmemorat singulare beneficium, ut gratitudinis eos admoneat. Fuit a. eductio ex Ægypto, typus educationis nostræ per Christum è



captivitate spirituali, peccati & mortis. Itaq; hæc commemoratio ad nos quoque pertinet.

*Domo servitutis*] Hebraicè *domo servorum*. Nam in Ægypto instar servorum à Pharaone pressi fuerunt Israëlita. Secundum quosdam *domus servorum*, periphrasis est carceris, q. d. è *carcere*, sive *ergastulo*.

*Non habebis*] In Hebræo sic sonat, *Non erunt tibi dii alii* (i. e. ullus deorū aliorum) *ante faciem meam*. Vocat autē deos per concessionem i. e. opinionem hominum, quia pro diis colebantur.

*Simulacrum*] Heb. *Non facies tibi sculptile*, scil. ad repræsentandum, vel me verum Deum, vel alium quemvis fictitium deum.

*Incurves*] Id est, ne adores. nam hoc gestu notatur reverentia.

*Zelotes*] Græcè *ζηλωτής*. Metaph. à conjugio. Nā zelus hīc intelligitur dolor, quem maritus concipit ex adulterio uxoris, quatenus eam alteri invidet, & ipse solus ea potiri vult.

*Vindicans*] Heb. *visitans iniquitatem parentum in filiis*, intellige iniquitatem, qua dissolvitur spirituale illud conjugium, i. e. defectionem à Deo.

*In tertia*] In Heb. *in tertianos & quartanos*, videl. à patribus ordine generationis, i. e. in nepotes & pronepotes.

*Oderunt*] Hīc jam declaratur illa, de qua dixit, iniquitas.

*Millesimam*] Hebr. *in millesimos*, scil. à patribus.

*Et observant*] Est *ἐπιζηήσεις*.

*Ne usur-*



*Ne usurpes*] Hebr. *Ne sumas nomen Jehova Dei tui in vanum*, i. e. ullâ causâ, aut ratione vanâ vel mendaci.

*Neq; enim Dominus*] In Heb. Non habebit innocentem, i. e. non relinquet impunem, Est Metonymia efficientis.

*Sabbathi*] I. e. *quietis*.

*Septimo die*] Recentiores verterunt, *At septimus dies sabbatum erit*, i. e. signum memoriale sabbathi, quietis: sed tamen potest suppleri præpositio *beth*, quæ valet *in*.

*Ullum opus*] scil. *servile* aut *mechanicum*, quale concessum est sex diebus reliquis.

*Intra portas*] I. e. *terminos jurisdictionis tuæ*. Synecdoche speciei; nam portis oppida terminantur.

*Benedixit diei*] Hebr. *benedixit diem*.

*Ut diu vivas*] Hebr. *ut prolongent dies tuos*, scil. pater & mater: quando nimirum honorem à liberis sibi ex mandato Dei delatum approbantes illis benedicunt, & vitam diuturnam ac felicem à Deo exoptant. Metonym. efficientis. Simili sensu alii alios dicuntur servare, *1. Tim. 4. v. 6. Jacob. 6.* item recipere in æterna tabernacula, *Luc. 16. v. 9.* Potest tamen aliter, idq; simplicius exponi, ut accipiatur hoc verbum impersonaliter, *ut prolongentur dies tui*, seu *ut prolongent*, nempe ii quorum est prolongare, scil. Deus per filium & Spiritum S.

*Domum*] *Deut. 5. v. 21.* Ordo duorum priorum membrorum invertitur, i. e. de uxore præcedit, de domo sequitur.

G 5



*Quomodo dividuntur hæc præcepta?*

In duas tabulas *a*, quarum prior quatuor præceptis tradit, quo pacto nos erga Deum geramus: posterior, sex præceptis, quæ officia proximo debeamus.

*a Exod. 34. 28. Deut. 4. 13. & 10. 3. 4. b Matth. 22. 36. 38. 39.*

E X P L I C A T I O.

Proponitur hîc partitio Decalogi. Ubi notandum, in Papatu perperam secundum præceptum omitti, ultimumque perperam in duo distrahi. Nec verò secundum sub primo comprehensum est, quum sit de re diversa: Primum est de Deo, qui colendus sit. Secundum de colendi modo; nonum verò illorum cum decimo planè idem est, quippe de re eâdem, nempe malâ concupiscentiâ, quam identitatem evincit quoque duorum primorum membrorum trajectio, unde nonum præceptum esset incertum. Prætereà *Exod. 20.* Utrumque in uno versu conjungitur, cum tamen præcedentia breviuscula versibus distincta sint. Huo accedit authoritas & iudicium Apostoli Pauli, qui hoc præceptum uno verbo allegavit *Rom. 7. v. 7. Non concupisces.* Ubi certè negari non potest, eum intelligere quamvis concupiscentiam pravam, ac proinde tam domus quam uxoris, ac vicissim. At Apostolus non vocat *ἐπιτολάς*, mandata, sed *ἐπιτολῶν*.

*Quid*



## X C I V. Q U Æ S T I O.

*Quid postulat Deus in primo præcepto?*

Ut quàm mihi chara est salus animæ meæ, tam studiosè vitem & fugiam omnem idololatriam *a*, magiam, incantationem, superstitionem *b*, invocationem sanctorum, aut cæterarum creaturarum *c*: unicum autem & verum Deum rectè agnoscam *d*, ipsi soli fidam *e*, summa humilitate *f* & patientia me illi subjiciam *g*, ab eo solo omnia bona expectem *h*, denique intimo cordis affectu ipsum amem *i*, reverear *k*, venerer *l*, adeò ut omnibus potius creaturis renunciem, quàm ut vel minimum contra ejus voluntatem committam *m*.

*a* 1. Cor. 6. 9. 10. & 10. 7. 14. *b* Lev. 19. 31. Deut. 18. 11. *c* Matt. 4. 10. Apoc. 19. 10. & 22. 8. 9: *d* Jch. 17. 3. *e* Jer. 17. 5. *f* 1. Pet. 5. 5. 6. *g* Heb. 10. 36. Col. 1. 11. Rom. 5. 3. 4. 1. Cor. 10. 10. Phil. 2. 14. *h* Psal. 10. 4. 27. 28. 29. 30. Jes. 45. 7. Jac. 1. 17. *i* Deut. 6. 5. Matt. 22. 37. *k* Deut. 6. 2. Psal. 111. 10. Prov. 1. 7. & 9. 10. Matth. 10. 28. *l* Matth. 4. 10. Deut. 10. 20. *m* Mar. 5. 29. 30. & 10. 37. Act. 5. 29.

## E X P L I C A T I O.

Primum præceptum declaratur enumeratione primùm peccatorum, quæ eo vitantur: deinde



bonorum operum, quæ eo præcipiuntur. Peccata enumerantur quinque; bona opera octo. De quibus singulis aliquid dicendum est. Primum igitur peccatum est *Idololatria cordis*, cum scilicet cor hominis falsum deum colit, i. e. rem aliquam quæ Deus non est, pro Deo habet & colit, vel fiduciam in ea ponendo, vel summum bonum in ea quærendo. Secundum peccatum est *Magia*, quo nomine hîc intelligitur ars diabolica, & superstitiosa evocandi dæmonem confederatum, & per illum quod quis velit efficiendi. Tertium est *Incantatio*, quo nomine hîc intelligitur ars diabolica & superstitiosa per certorum verborum recitationem quippiam efficiendi. Quartum peccatum est *Superstitio*, quo nomine hîc intelligitur falsa opinio de cultu Dei, aut efficacia verborum pronuntiatorum aliarumque ceremoniarum. Quintum est *Invocatio sanctorum*, cum homo in necessitate constitutus, implorat opem sanctorum defunctorum, persuadens sibi se ab illis exaudiri, illosque juvare posse. Ex bonis operibus primum est *vera Dei agnitio*: ut videlicet Deus à nobis cognoscatur talis, qualem se esse certo verbo & illustribus operibus patefecit, videlicet quod sit summè potens, summè sapiens, summè bonus, summè justus, summè misericors, summè clemens, liberrimæ potestatis, denique summam majestatem & gloriam præditus. Secundum bonum opus est *Fiducia*, cum quis fretus potentia & bonitate & veritate Dei confidit, se omnis generis bona ab illo perce-



percepturum, & ab omnibus malis liberatum iri:  
 cujus fiducia exemplum vide in Davide *Psalms. 11.*  
*v. 1.* & in Jobo, *Job. 13. v. 15.* Tertium bonum opus  
 est *Humilitas*, quæ aliàs dicitur adoratio, nempe  
 adoratio cordis, cum quis consideratâ summâ ma-  
 jestate Dei, seipsum humiliat, demittit, deprimit;  
 dejicit, indignum se esse existimans, in quem quic-  
 quam boni à Deo conferatur, imò dignum, quòd  
 omnibus malis ab eo afficiatur, propterea quòd  
 majestatem ejus toties peccando offendit. Itē cum  
 quis consideratâ summâ Dei majestate & sancti-  
 tate, omnia illius opera, ut justa & sancta admira-  
 tur ac celebrat, etiamsi iudicio rationis ipsius in-  
 justa videantur. Exēpla hujusmodi humilitatis vi-  
 de in Abrahamo, *Gen. 18. v. 17.* Et in Jacobo *Gen. 32.*  
*v. 10.* & in Davide *2. Sam. 7. v. 19. 18.* & deniq; in A-  
 postolo Paulo *Rom. 11. v. 13.* Quartum est *patientia*,  
 cum quis considerata justitia & bonitate Dei, ma-  
 la quibus premitur, æquo animo perfert, sentiens  
 sibi illa à Deo immitti, sive justo iudicio, ut ita  
 propter admissa peccata castigetur, & ad resipi-  
 scientiam adducatur, sive sancta & libera potesta-  
 te, ut fides ipsius exerceatur. Exempla ejus patien-  
 tiæ vide in Jobo, *Job. 1. v. 27.* & in Davide *2. Sam. 16.*  
*v. 10. 11. 12.* Quintum est *spes*, quæ à fiducia, de qua  
 dictum est, non nisi ratione differt. Fiducia enim  
 respicit ipsius Dei potentiam & voluntatem, qui-  
 bus freti bona à Deo expectamus. Spes respicit  
 ipsa bona à Deo promissa, quæ proinde ab ipsius



benevolentia & potentia expectamus. Sextum est *amor*, sive *dilectio Dei*, cum gustantes bonitatem Dei, adhærere ipsi perpetuò cupimus. Septimum est *reverentia* seu *timor Dei*, cum consideratâ summâ majestate, bonitate, & potentiâ Dei, cavemus, ne Deum offendamus, sive quòd indignū sit, tantam majestatem, & tam bonum patrem offendere, sive quod periculosum & exitiosum sit, offendere eum, qui pro sua justitia peccata punire vult, & pro sua potentia gravissimè punire potest. Octavū est *veneratio*, cum corporis gestu significamus, nos Deum revereri, & adorare. Itaq; hoc nomine etiam potest comprehendi gratiarum actio, quatenus verbis significamus, nos beneficia Dei grato animo agnoscere, & nos gratos ex animo declarare.

## XCV. QUÆSTIO.

*Quid est idololatria?*

Est loco unius Dei, aut præter unum illum & verum Deum, qui se in suo verbo patefecit, aliud quippiam fingere aut habere, in quo spem reponas *a*.

*a* Ephes. 5. 5. 1. Par. 16. 26. Phil 3. 19. Gal. 4. 8. Ephes. 2. 12. 1. Joh. 2. 23. 2. Joh. 9. Joh. 5. 23.

## E X P L I C A T I O.

Definitur hîc *Idololatria*, cui definitioni videntur addenda hæc verba: *Aut quo tanquam ad summum*



*imum bonum actiones tuas referas, ac proinde quòd veluti Deum colas. Exemplum fiduciae est avaritia, ad Philip. 3. v. 19. Quorum Deus &c. Eph. 5. v. 5.*

XCVI. QUÆSTIO.

*Quid postulat secundum præceptum?*

Ne Deum ulla imagine aut figura exprimamus *a*, néve ulla alia ratione eum colamus, quàm quâ se in suo verbo coli præcepit *b*.

*a Deut. 4. 15. Jes. 40. 18. Roman. 1. 23. Act. 17. 29.*

*b 1. Sam. 15. 23. Deut. 12. 30. Matth. 15. 9.*

EXPLICATIO.

Responsio duas continet partes, ut patet. De prima vide *Deut. 4. v. 15. Esa. 40. v. 18. & 25. Rom. 1. v. 23. Act. 17. v. 19.* De altera *1. Sam. 15. v. 33.* exemplum Saulis. *Deut. 12. v. 30.* dehortationem ab imitandis cultibus gentium. *Matth. 15. v. 9.* improbationem seu rejectionem ab hominibus excogitatorum.

XCVII. QUÆSTIO.

*An nullæ ergo prorsus fingendæ sunt imagines aut simulacra?*

Deus nec ulla ratione effingi debet, nec potest. Creaturas autem, etsi exprimere quidem licet: vetat tamen Deus earum imagines fingi



aut haberi, quo vel ipsas, vel Deum per ipsas colamus, aut honoremus *a*.

*a* *Exod.* 23. 24. & 34. 13. *Num.* 33. 52. *Deut.* 7. 5. & 12. 3. & 16. 22. *2. Reg.* 18. 4.

## E X P L I C A T I O.

Hac quaestione per prolepsin quaeritur de imaginibus, quænam licitæ sint, quæ illicitæ. Illicitæ sunt omnes, quibus effingitur Deus. Dei enim majestas hac ratione minuitur, ut liquet ex dictis *Roman.* 1. *vers.* 23. *Actor.* 16. *v.* 29. Contra licitæ sunt quibus effinguntur res creatæ, quæ tamen per accidens sunt illicitæ, si scilicet vel ipsæ ut Dii colantur, vel Deus per ipsas.

## XCVIII. Q U Æ S T I O.

*An autem in templis imagines tolerari non possunt, quæ pro libris sint imperita multitudini?*

Minimè: neque enim decet nos sapientiores esse Deo, qui suam Ecclesiam non mutis simulacris *a*: sed viva prædicatione verbi sui vult erudiri *b*.

*a* *Jer.* 10. 8. *Habac.* 2. 18. 19. *b* *2. Tim.* 3. 16. 17. *1. Pet.* 1. 19.

## E X P L I C A T I O.

Objectio Papistarum.

*Si imagines S. Trinitatis & maximè Sanctorum, & Christi*



*Christi crucifixi, pro libris sunt imperita multitudi-  
tadini: ergò in templis habenda sunt.*

*At verum Antecedens. Ergo.*

Negatur consequentia propositionis connexæ,  
& negationis ratio affertur, quia in instituēda Ec-  
clesia acquiescendum est in ordinatione Dei, nil  
agendum ex hominum opinione, *Matth. 19. v. 9.*  
*Deut. 12. v. 32.* Deinde assumptio ex parte quoque  
falsa est, nam imago repræsentans Deum, est insti-  
tutio vanitatum, *Jerem. 10. v. 8.*

### XCIX. QUÆSTIO.

*Quid sancit Deus tertio præcepto?*

Ut non solùm execrando aut pejerando *a*,  
verùm etiam temere jurando *b*, nomen DEI  
contumeliosè, aut irreverenter ne usurpe-  
mus: nevé tacendo aut connivendo, horren-  
dis istis sceleribus communicemus: sed sacro-  
sancto DEI nomine non nisi summa cum  
religione & veneratione utamur *c*, ut verâ  
& constanti confessione *d*, invocatione *e*, o-  
mnibus denique verbis & actionibus nostris  
ipse *f* celebretur.

*a Lev. 24. 11. &c. Lev 19. 12. b Matth. 5. 37. Jacob 5.  
12. c Jes. 45. 23. d Matth. 10. 31. e 1. Tim. 2. 8.  
f Rom. 2. 24. 1. Tim. 6. 1. Col 3. 6.*



Tertium præceptum declaratur enumeratione tum peccatorum, quæ prohibentur, tum bonorum operum, quæ imperantur. Et peccata enumerantur quatuor, bona vero opera quinque i. de peccatis est *execratio*: Est autem execratio proprie loquendo, cum quis sese Sacramento, id est, jurejurando diris devovet, sibi que extrema mala imprecatur, ut fecit Petrus cum negaret Christum *Matt. 26. vers. 74.* Vel cum quis alteri malè imprecatur, quod specialiter vetitum est de parentibus *Exod. 21. v. 17. Levit. 20. v. 9.* Item de principe seu Magistratu *Exod. 22. v. 28.* Nec non de furdo *Levit. 19. vers. 14.* Sed hîc verbum *Fluchen* quod extat in Germanico, intelligendum videtur, de blasphemia, qua læditur Majestas nominis Dei, quam aliàs vocamus *Gottslåsterung* ut intelligitur ex loco scripture, qui ad hujus peccati declarationem citatur in margine, *Lev. 24. v. 11.* Ibi enim historia narratur, de quodam qui blasphemaverat Deum. Cæterum ad blasphemiam pertinet, etiam quævis contumeliosa & reverentiæ expers nominis Dei usurpatio, ut cum homines de Deo nugantur, & fabulantur, aut Dei verbo ad jocos abutuntur. 2. peccatum est *perjurium*, hoc est, cum quis jurejurando affirmat, *id esse*, quod non est, aut *id non esse* quod est. hoc nominatim vetatur *Levit. 19. vers. 12.* Tertium peccatum est *juramentum temerarium*, id est, temerè absque ulla necessitate usurpatum,



patum, cum scilicet gloria Dei id non postulat, nec proximi salus, quod speciatim vetat Christus *Matth. 5. v. 34.* Itemque repetit Jacobus *c. 5. v. 12.* Quartum peccatum est *silentium & tacita approbatio blasphemiarum*, seu *disimulatio blasphemie proximi*, de qua extat peculiaris *lex Lev. 5. vers. 1.* Atque hæc de peccatis Primum bonum opus est, *Religiosus & cum veneratione conjunctus nominis Dei usus.* Hoc opponitur juramento temerario, item blasphemie. Secundum est *confessio vera religionis*: de qua vide *Matth. 10. vers. 32.* Tertium est *invocatio*: de qua *1. Tim 2. v. 8. 9.* Quartum est *laudatio Dei seu gratiarum actio*; de qua *Colos. 3. v. 6.* Quintum *vita honestas & sanctitas* digna Evangelio, ne Evangelium propter vitæ nostræ turpitudinem blasphemetur; de qua vide, *Rom. 2. vers. 24. Thess. 1. vers. 6.*

C. QUÆSTIO.

*Estne igitur adeò grave peccatum, jurando, aut di-  
ra imprecando, nomen Dei temerare, ut Deus  
etiam iis succenseat, qui, quantum in se  
est, illud non prohibent aut  
impediunt?*

Certè gravissimum a: Neque enim ul-  
lum est peccatum majus, aut quod Deum  
graviùs offendat, quàm sacri ipsius nominis



contumelia. Quocirca etiam id scelus morte multari voluit *b.*

*a Levit. 5. 1. b Levit. 24. 15. 16.*

## E X P L I C A T I O.

Gravitas seu magnitudo peccati blasphemiae demonstratur testimonio iudicii Dei, ut qui illam supplicio capitis dignam iudicet. Vide *Levit. 24. vers. 15. &c.*

## C I. Q U A E S T I O.

*Potestne quis etiam pie per nomen Dei jurare?*

Potest: cum vel magistratus id exigit, vel alioqui necessitas, hoc pacto fidem firmari, & veritatem stabiliri, postulat: quod & gloria Dei illustretur, & aliorum saluti consulatur. Nam ejus generis jusjurandum, verbo Dei sancitur *a*, ideoque etiam à sanctis in veteri & novo foedere rectè est usurpatum *b.*

*a Deut. 6. 13. & 10. 20. Jes. 48. 1. Heb. 6. 16. b Gen. 21. 24. & 31. 53. Jos. 9. 15. & 19. 1. Sam. 24. 23. 2. Sam. 3. 35. 1. Reg. 1. 29. Rom. 1. 9.*

## E X P L I C A T I O.

Demonstratur hic contra Anabaptistas, Non omne juramentum esse illicitum, & indicantur duo genera licita: primum cum exigit Magistratus, de quo *Exod. 22. v. 11. Hebr. 6. v. 16.* Alterum, cum aliàs postulat



*postulat necessitas.* Ea autem necessitas duplex traditur; una, cum agitur gloria Dei: altera, cum agitur salus proximi. Hæc autem juramenta esse licita, probatur duobus argumentis. 1. à testimonio divino immediato, videlicet judicio Dei, quippe qui juramentum præcepit *Deut. 6. v. 13. c. 10. v. 20.* Deinde à testimonio, & judicio sanctorum hominum, quod ostenditur ex effectis, id est, factis ipsorum, quia scil. ipsi jurarunt, id quod nunquam ita scientes prudentes fecissent, nisi licere judicassent. Exempla vide Abrahami *Gen. 21. vers. 24.* Jacobi, *Genes. 31. vers. 53.* Josuæ & cæterorum principum populi Israëlitici, *Josue 9. v. 15.* Davidis *1. Sam. 24. vers. 23.* item *2. Sam. 3. vers. 35.* *1. Reg. 1. v. 29.* Prætereà Pauli *Rom. 1. v. 9. c. 9. v. 1.* *2. Cor. 1. v. 23.*

## CII. QUÆSTIO.

*Estne licitum jurare per Sanctos aut alias creaturas?*

Non: nam legitimum juramentum, est invocatio Dei, qua petitur, ut is tanquam unicus cordium inspector, testimonium det veritati, & jurantem puniat, si sciens fallat *a.* Porrò hic honos nulli creaturæ convenit *b.*

*a 2. Cor. 1. 23. b Matth. 5. 34. 35. 36.*

## E X P L I C A T I O.

Non esse licitum jurare per Sanctos aut alias



creaturas, probatur contra Papistas à juramenti definitione. Syllogismus ita habet.

*Per quem legitime juratur cum oportet esse unum potius  
vobis Iu, ut cor jurantis intueatur; & præterea  
omnipotentem, ut pejerantem pro merito pos-  
sit punire.*

*At nulla creatura talis, Ergo.*

Propositio probatur à juramenti definitione.  
Assumptio per se manifesta; & q̄ ad prius mem-  
brum, probatur testimonio Pauli 1. Cor. 2. v. 11.

### CIII. QUÆSTIO.

*Quid præcipit Deus in quarto præcepto?*

Primum ut Ministerium Evangelii & Scholæ conserventur *a*: utque ego cum aliis, tum præcipuè festis diebus, studiosè coetus divinos frequentem *b*, verbum Dei diligenter audiam *c*, utar Sacramentis *d*, precibus publicis meas quoque preces adjungam *e*, pro facultatibus aliquid conferam in pauperes *f*. Deinde, ut in omni vita à pravis actionibus vacem, Domino concedens ut per Spiritum sanctum in me suum opus faciat, atque ita sempiternum illud sabbathum in hac vita exordiar *g*.

*a Tit. 1. 5. 1. Timoth. 2. 4. 13. & 5. 17. 1. Cor. 9. 11. 13. 14. 2. Tim. 22. 3. 15. 1. Tim. 4. 13. & 5. 17. b Psal. 68.*

*27. &*



27. & 40. 10. 11. Act. 2. 42. 46. c 1. Cor. 14. 19. 29.

31. d 1. Cor. 11. 33. e 1. Tim. 2. 1. 2. 3. 8. 9. 1. Cor. 14.

16. f 1. Cor. 16. 2. g Jes. 66. 23.

## E X P L I C A T I O.

Quartum præceptum declaratur enumeratione quinque bonorum operum, quæ ea præcipiuntur, de quibus singulis nonnihil dicemus. De primo. Sanctificatio Sabbathi consistit potissimum in *prædicatione*, & *auscultatione verbi Dei*. Ergo opus est *conservari ministerium verbi*. Ad hujus a. conservationem pertinent *Christiana Schola*, quia ministris eruditione opus est. De secundo. De *frequentatione sacrorum coetuum* extat hortatio Davidis ad pios sui temporis *Psal. 68. v. 27.* item exemplum ipsius *Psal. 40. v. 10.* item exemplum primorum Christianorum *Act. 2. v. 46.* item desiderium Davidis *Psal. 42.* De tertio. *Verbum Dei in sacra congregatione diligenter audiendum* docet Paulus *1. Cor. 14. v. 19. & 29. & 31.* De quarto, *Sacramentis in sacra congregatione esse utendum*, docet nos exemplum Ecclesiæ Corinthiæ, quod Paulus approbat *1. Cor. 11. v. 33.* De quinto. *Cum Ecclesia esse precandum*, monet nos exemplum primorum Christianorum *Act. 2. v. 42.* Item hortatio Pauli, *1. Timoth. 2. v. 1. & c.* item verba *1. Cor. 14. v. 16.* De sexto. *Contribuendam esse in sacra congregatione Ecclesiæ eleemosynam in usum pauperum*, vide *1. Cor. 16. v. 2.* De septimo. *Quiès corporis externa significavit quietem animi internam*, i. e. quietem à pravis



concupiscentiis & actionibus, quæ quies in hac vita in sanctis inchoatur, in altera autem perficitur, ubi perpetuum & sempiternum sabbathum erit, de quo *Esa. 66. v. 33.*

## CIV. Q U Æ S T I O.

*Quid nobis injungit Deus in quinto præcepto?*

Ut parentibus, atque adeò omnibus qui nobis præfunt, debitum honorem, amorem & fidem præstemus, nosque ipsorum fidelibus præceptis & castigationibus ea, qua par est, obedientia submittamus *a*: Tum etiam ut eorum vitia & mores nostra patientia toleremus *b*, illud semper cogitantes, Deum nos illorum manu velle ducere ac regere *c*.

*a Ephes. 6. 1. 2. 5. Col. 3. 18. 20. 22. 23. 24. Ephes. 5. 22.*

*Proverb. 1. 8. & 4. 1. & 15. 20. & 20. 20. Exod. 21. 17.*

*Rom. 13. 1. b Prov. 23. 22. Gen. 9. 25. 1. Pet. 2. 18.*

*c Eph. 6. 4. 9. Col. 3. 19. 21. Rom. 13. 2. Matt. 22. 21.*

## E X P L I C A T I O.

Quintum præceptum declaratur enumeratione quinque bonorum operum, quæ eo imperantur: quæ sunt, *amor erga parentes, ac omnino erga superiores.* deinde *amor, tum fides,* postea *obedientia,* & postremò *tolerantia in ferendis eorum vitiis.* Honor est cultus externus seu significatio reverentiæ & amoris, ut cum caput aperitur, genu flectitur, assurgitur; de quo postremo gestu peculiaris lex extat



extat *Lev. 19. v. 22.* Amoris ac fidei nomine comprehenditur beneficentia, de qua *Matth. 15. v. 4. & 5.* Cæterum parentum nomine per synecdochen speciei inr<sup>o</sup> igitur omnes, qui à Deo nobis præfecti & præpositi sunt, ut mores nostros regant, ut sunt *Præceptores, Tutores, Pastores Ecclesiarum, Magistratus, Domini, Mariti.* Sunt autem parentes nominatim expressi *ἡγάρον ἰξοχλῶν*, tum quia à natura primi sunt in nobis educandis, ac regendis, tum quia cæteri qui ad eundem finem præfecti non sunt, affectum parentum erga nos induere debent, unde etiam in scriptura, tum pastores Ecclesiarum, tum Magistratus, nominantur patres. Pastores, ut *2. Regum 6. v. 21. Prov 4. v. 1. 1. Cor. 4. v. 14. & 15. 2. Cor. 6. v. 13. c. 12. v. 15. Gal. 4. v. 19. 1. Thess. 2. v. 1. 1. Joh. 2. v. 1.* Magistratus, ut *Esa. 2. v. 21.*

Porrò ad honorandum parentes eisque obediendum excitare nos debet, præter mandatum, *promissio Dei* huic præcepto addita, & alibi repetita, *Eph. 6. v. 2. Prov. 1. v. 19.* Deinde *comminatio* contra filios inobedientes, *Deut. 27. v. 16. Prov. 20. v. 2. & c. 30. v. 17.* Tum etiam *exempla poenarum* addita in contemptores parentum, ut in Chamum filium Noachi, *Gen 9. v. 25.* in pueros Bethelis, illudentes Elisæo, *2. Reg. 2. v. 23 & 24.* In Absalomum, *2. Samuel. 18. v. 9 & 14.* Præterea *lex Dei* de inobedientibus filiis capite plectendis, *Deut. 21. v. 18. Exod. 21. v. 15. 16.* Denique *exemplum ipsius filii Dei*, *Luc. 2. v. 50.* Est tamen hæc observanda exceptio quæ-



dam, nempe ut obediamus parentibus in Domino, ita ut in gratiam illorum non offendamus Deum, *Eph. 6. v. 1. Matth. 10. v. 37. Luc. 14. v. 16.*

## C V. Q U Æ S T I O.

*Quid flagitat Deus in sexto præcepto?*

Ut proximum neque cogitatione, neque verbis, neque gestibus, nedum factis, vel per me, vel per alium contumelia afficiam, aut oderim, aut lædam, aut occidam *a*: sed omnem vindictæ cupiditatem abjiciam *b*: Ad hæc, ne me ipsum lædam, aut sciens in aliquod periculum conjiciam *c*. Quocirca etiam, ne cædes fierent, Magistratum gladio armavit *d*.

*a Matth. 5. 21. 22. Gen. 9. 6. Matt. 26. 52. b Eph. 4. 26. Rom. 12. 19. Matth. 5. 25. & 18. 25. c Rom. 13. 14. Col. 2. 23. Sir. 3. 27. Matth. 4. 7. d Genes. 9. 6. Exod. 21. 14. Matth. 26. 52. Rom. 13. 4.*

## E X P L I C A T I O.

Enumerantur peccata, quæ sexto præcepto ventantur, videl. *contumelia, odium, læsio, cædes, vindictæ cupiditas, læsio sui ipsius, & audacia in periculis*. Hæc enumeratio illustratur distributione duplici, una quadrimembri ab adjunctis instrumentis, quæ sunt *cogitatio, verba, gestus, facta*. Altera bimembri, ab adjunctis agendi modis, qui sunt *per se & per aliū*.  
In fine



In fine additur porisma de causa quadam finali constituti à Deo Magistratus, atque ita de officio quodam Magistratus, quod est prohibere cædes privatas. Unde porrò intelligitur, quandam cædis speciem hîc excipi, quæ hoc præcepto non vetatur, sed potiùs jubetur, videl. cædes, quam fontibus infert Magistratus.

## C VI. Q U Æ S T I O.

*Atqui hoc præceptum solam cædem prohibere videtur?*

At cædem prohibendo, docet Deus, se radicem & originem cædis, iram scilicet e, invidiam f, odium g, & vindictæ cupiditatem odisse, atq; ea omnia pro cæde ducere h.  
 e Jac. 1. 20. Gal. 5. 20. f Rom. 1. 29. g 1. Johan. 2. 9. 11. h 1. Joh. 3. 15.

## E X P L I C A T I O.

Objectio.

*Si hoc præcepto nominatim sola cædes prohibetur, non videntur etiam prohiberi reliqua peccata antè enumerata.*

*Sed verum prius.*

*Ergo & posterius.*

Resp. Negatione conseq. propositionis connexæ. Ratio negationis est, quia Decalogi præcepta intelligenda sunt per synecdochen, scil. ut intelligantur cognata ejus, quod nominatim præ-



cipitur vel prohibetur. Ergo unà cum cæde, etiam  
cædis causa & scaturigo prohibetur, *Matth. 5. vers.*  
*15. Job. 1. v. 15.*

## C V I I. Q U Æ S T I O.

*An verò id satis est, nos neminem eo, quo di-*  
*ctum est, modo occidere?*

Non est satis: dum enim Deus iram, invi-  
diam, odium damnat, postulat ut proximum  
æquè ac nos ipsos diligamus *i*, & ut huma-  
nitate *k*, lenitate, mansuetudine, patientia *l*,  
& misericordia *m*, erga eum utamur, quod-  
que ei damno esse possit, quantum in nobis  
est, avertamus *n*: Ad summam, ita animo af-  
fecti simus, ut ne inimicis quidem beneface-  
re dubitemus *o*.

*i Matth. 7. 12. & 22. 39. k Rom. 11. 10. l Eph 4.*  
*2. Gal. 6. 1. 2. Matth. 5. 5. Rom. 12. 18. m Matth 5.*  
*7. Luc. 6. 36. n Exod. 23. 5. o Matth. 5. 44. 45.*  
*Rom. 12. 20. 21.*

## E X P L I C A T I O.

Enumerantur bona opera, quæ sexto præcepto  
imperantur. Nam & hæc synecdoche in Decalogi  
præceptis, ut ex negationibus oppositæ affirma-  
tiones intelligantur & contrà. Cæterùm bona illa  
opera seu virtutes, sunt numero sex, videl. *Dilectio*  
*sincera proximi, Humanitas erga illum, Lenitas,*  
*Man-*



*Mansuetudo seu Patientia in ferendis injuriis, Misericordia, & aversio damni.* Postremò bona illa opera amplificatur distributione ex objectis, per collationem imparium, videl. exercenda esse hæc opera, non solùm erga amicos, sed etiam inimicos.

## C V I I I. Q U Æ S T I O.

*Quæ est sententia septimi præcepti?*

Deum omnem turpitudinem execrari *a*: ideoque nos eam penitus odisse & detestari debere *b*: contraque temperanter, modestè & castè *c*, sive in sacro conjugio, sive in vitâ cœlibe vivere oportere *d*.

*a Levit. 18. 27. 28. b Juda 23. c 1. Thess. 4. 3. 4. 5.*

*d Heb. 13. 3. 4. 1. Cor. 7. 4.*

## E X P L I C A T I O.

Indicatur quid septimo præcepto, tum prohibeatur, tum imperetur, prohibetur omnis turpitudò, i. e. turpis libido venerea; & hanc esse fugiendam, probatur ab effectu noxio, videl. pœna Dei: ut qui omnem turpitudinem exeret, ac proinde puniat. Imperatur principaliter *castitas*, secundariò & consequenter *temperantia*, & *pudicitia*, quæ hîc modestiæ vocabulo significatur. *Castitas* est studium conservandi semen genitale, aut non nisi legitimè excernendi. Distribuitur hîc castitas è subjectis recipientibus in se, in illam, quæ est conjugum, & in illam quæ est cœlibum. *Castitas con-*



*jugum* est studium conservandi semen genitale, donec natura aut jus conjugii id postulet excernere, ac tum excernere illud per legitimum concubitum cum conjuge. *Castitas coelibum* est studium conservandi semen genitale perpetuò, nec unquã illud excernendi. Ubi observandum, eos quibus non est datum continentię donũ, ut hoc genus castitatis possint observare, eos inquam ex Dei mandato contrahere matrimonium teneri, ut alterum castitatis genus colant, 1. Cor. 7. v. 9. Unde intelligitur, tyrannicum esse mandatum Papæ de coelibatu Sacerdotum. Nam primò quod Deus relinquit liberum iis, qui habent donum continentię, ut scilicet vel matrimoniũ contrahant, vel coelibes maneant, id redditur necessarium, deinde quibus Deus conjugium mandavit, nempe omnibus iis, qui continentię dono præditi non sunt, iis prohibetur. Porro *temperantia* est studium cavendi nimiam cibi & potus, præsertim cibi delicati ac potus inebriantis perceptionem. *Pudicitia* est amor castitatis & causarum illius tum procreantium, tum conservantium: & contrà odium Veneris illicitæ, & causarum illius tum procreantium tum conservantium.

*Nibilne*



## CIX. QUÆSTIO.

*Nihilne amplius prohibet Deus hoc præcepto,  
quàm adulterium, & id genus tur-  
pitudines?*

Cùm corpus & animus noster templa sint  
Spiritus sancti: vult Deus, ut utrumque purè  
sanctèque possideamus. Ideoque facta, ge-  
stus, sermones e, cogitationes, cupiditates  
f fœdas, & quicquid hominem ad ista allicit,  
id universum prohibet g.

e *Ephes. 5. 3. 4. 1. Cor. 6. 18. 19. 20. f Matth. 5. 28.*

g *Ephes. 5. 18. 1. Cor. 15. 33.*

## E X P L I C A T I O.

Pleniùs hîc exponitur sententia septimi præce-  
pti. i. distributione castitatis, deinde enumeratio-  
ne rerum hîc prohibitarum. *Castitas* distribuitur  
è subjectis recipientibus in se, quæ sunt *anima &*  
*corpus*. Cujus utriusque castitati studendum esse  
probatum ab effectu destinato, quia utrumq; illud  
templum est Spiritus S. ac proinde sanctis usibus  
destinatum. Quo argumento innuitur quoque  
argumentum ab effectu pernicioso. Nam qui Dei  
templum polluit, is à Deo punietur. Item qui Spi-  
ritum sanctum in se habitantem contristat, is illum,  
quantum in sese est, expellit, qui autem Spiritu

H 4



sancto destitutus est, is expositus est spiritui impuro, i. e. Diabolo, ut ipsum agat ad patrandum quodvis scelus, atque ita præcipitandum in exitiũ æternum. Atq; hoc de membro expositum priore. Jam res hinc prohibitæ enumerantur sex, quarum, quinque priores sunt actiones hominis, sexta est res actioni objecta. Res illæ sunt 1. *facta fœda*: ut adulterium, scortatio, nuptiæ incestæ, concubitus venereus, masculi cum masculo, fœminæ cum fœmina, aut hominis cum bestia. 2. *Gestus fœdi*, ut aspectus libidinosus, choreæ juvenum & virorũ cum puellis & mulieribus. 3. *Sermones fœdi*, quales passim occurrunt apud prophanos poëtas. 4. *Cogitationes fœdæ*. 5. *Cupiditates fœdæ* seu flammæ vagæ libidinis. 6. *Quicquid hominem ad ista allicit*, ut vestes ad superbiam ac libidinem formatae, & nimium pretiosæ ac splendidae, picturæ aut statuæ repræsentantes corpora humana prorsus nuda; ac multò magis quæ repræsentant actum venereum.

Cæterum causæ impulsivæ, quibus ad castitatem excitari debemus, notari possunt istæ. 1. *Mandatum Dei*, cum hinc tum alibi, ut *Lev. 18.* ubi prohibentur nuptiæ incestæ, & omnis generis fœdi concubitus, *1. Thess. 4. Eph. 5. v. 3. 4. 1. Cor. 6. v. 15.* 2. *Exempla sanctorum*, ut Josephi, *Gen. 39.* recusantis concumbere cum hera: Rebecca descendens de camelo, & velantis faciem propter occursum Isaaci, *Gen. 14. Job 31. v. 1.* Uriæ abstinentis à concubitu uxoris propter calamitatem publicam, *2. Sam. 11. v. 35.*



v. 35. 3. *Promissio divina vere beatitudinis, Matth. 5. v. 8.* Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. 4. *Comminatio divina pœnarum, tum corporalium & temporalium, tum spiritualium & æternarum Æternarū: ut Deut. 27. v. 20 1. Cor 6. v. 9. 10. Hebr. 12. v. 14. c. 3. v. 14. Apoc. 21. v. 8. & 22. v. 15.* Temporalium: ut *Deut. 28. v. 16. Lev. 18. v. 27. & c. 20. v. 10. 5. Exempla pœnarum: ne quis putet esse inanes minas; ut Diluvium, Gen. 7. Excidium Sodomæ & vicinarum urbium, Gen. 19. Strages Benjaminitarum in urbe Gabæa propter nefarium stuprum illatum uxori Levitæ, Judic. 19. & 20. Castigationes Davidis gravissimæ propter adulterium uxoris Uriæ, quæ narrantur 2. Sam. 12. & seq. videl. mors filioli ex adulterio nati. Incestus concubitus filii Ammonis cum sorore Thamar, c. 13. Cædes Ammonis ab Absalomo, ibidem. Rebello Absalomi & occupatio regni c. 15. Maledicta Simeï coniecta in fugientem cap. 16. Concubitus Absalomi cum concubinis ipsius, ibidem. Cædes Absalomi per Joabum c. 18. Rebello Sebæ filii Bochri c. 20.*

## CX. QUÆSTIO.

*Quid vetat Deus in octavo præcepto?*

Non solum ea furta *a* & rapinas *b*, quas magistratus punit: sed furti nomine comprehendit, quicquid est malarum artium & aucupiorum, quibus aliena captamus, & ad nos

H. s.



vi, aut specie recti transferre *c* studemus: qualia sunt, iniquum pondus *d*, injusta ulna, inæqualis mensura *e*, fucosa merx, fallax moneta, usura *f*, aut alia quævis ratio aut modus rem faciendi à Deo interdictus. His adde omnem avaritiam *g*, multiplicem divinorum donorum profusionem & abusum *h*.

*a* 1. Cor. 6. 10. *b* 1. Cor. 5. 10. *c* Luc. 13. 14. 1. Thess 4. 6. *d* Prov. 11. 1. & 16. 11. *e* Ezech. 45. 5. *f* Deut. 25. 13. Psal. 15 5. Luc. 6. 35. *g* 1. Cor. 6. 10. *h* Prov. 5. 16.

## E X P L I C A T I O.

Enumerantur hæ res, quæ octavo præcepto prohibentur, & sunt in genere quinque. I. *Furtum*. II. *Rapina*. III. *Artes fraudandi*. IV. *Avaritia*. V. *Profusio bonorum nostrorum*. Ex his tertium declaratur enumeratione specierum, quæ sunt numero sex: videl. 1. *iniquum pondus*. 2. *injusta ulna*. 3. *inæqualis mensura*. 4. *fallax moneta*. 5. *fucosa merx*. 6. *usura*. Cæterum quod hîc traditur, hoc præcepto prohiberi usuram, non simpliciter intelligendum, scil. de omni usura, i. e. compensatione beneficii mutuationis sed tantum de ea, quæ pugnat cum æquitate, ut si dives exigat usuram à paupere, sicut percipitur ex verbis legû polit. quibus usura prohibita olim fuit Judæis, ut *Exod. 22. v. 26*. Si pecuniã tuam  
mutuam



mutuã dederis populo meo pauperi, *Lev. 25 v. 31.*  
 Si attenuatus fuerit frater tuus, & vacillaverit manus ejus. Porro *Luc. 6.* non solum non prohibetur usura, sed etiam permittitur, nempe illa, quæ non pugnat cum æquitate, cum scilicet aliquis mutuò dat locupleti, qui est solvendo; sicut non prohibetur diligere amicos, & benefacere benemeritis; sed tantum docetur, tali mutuatione nihil eximium præstari, sed à filiis Dei requiri mutuationem absque usura, imò absque spe recipiendi sortem, nempe ut mutuum dent pauperibus. Profusio autem facultatum eatenus hinc prohibetur, quatenus paterfamiliã, qui facultates suas profundit, eas hoc ipso furatur suis liberis, quibus debebat servare, id quod præter necessariam perceptionem & honestam fruitionem superat. Item quatenus illi, qui per profusionem ad paupertatem rediguntur, postea coguntur ab aliis mendicare, quibus poterant parcere, nisi sua prodegissent.

CXL. QUÆSTIO.

*Quæ sunt ea, quæ Deus hinc jubet?*

Ut commoda & utilitates proximi, quantum possim, adjuvem & augeam: cum eo sic agam, ut mecum agi cuperem *a*: sedulo & fideliter opus faciam, ut aliorum quoque egestati subvenire queam *b*.

*a. Matth. 7. 12. b. Ephes. 4. 28.*



## E X P L I C A T I O.

Hic indicantur virtutes, quæ octavo præcepto imperantur, numero tres. 1. *Fidelitas in bonis proximi conservandis, extra contractum.* 2. *Fidelitas in contractibus.* 3. *Fidelitas in laboribus vocationis ob-eundis, ad honestum lucrum comparandum.* Cæterum cum hic prohibeatur furtum, ac proinde sanciatur distinctio dominiorum. Consequens est errare Anabaptistas, qui putant Christianis non licere quippiam habere proprium, sed omnia eis esse debere communia, idque exemplo Apostolorum & Ecclesiæ ab illis collectæ Hierosolymis, *Actor. 2. v. 44.* Sed illud exemplum non est trahendum in regulam. 1. quia communio illa fuit libera, ut ex verbis Petri percipitur *Act. 5. v. 4.* 2. quia fuit facilis, propterea quod erant pauci. 3. fuit quodammodo necessaria, quia periculum erat, ne si prædia sua non venderent, & pretia in commune conferrent, illis privarentur à Magistratu. 4. Communio illa non fuit tracta in exemplum ab aliis Ecclesiis Colligebantur enim tum eleemosynæ in Macedonia & Achaia, pro fratribus Hieros. *Rom. 15. v. 16.* Præterea pro opinione Anabaptistarum ob-jici etiam potest vulgatum illud, *Amicorum omnia esse communia.* Christiani enim summe amici sunt. Resp. Dictum illud intelligendum est non de dominio & possessione, sed de usu & officio honestatis, necessitatis & utilitatis, secundum rectam rationem & æquitatem. Postremò & illud notandum



dum est, *rectum usum facultatum nostrarum* consistere potissimum in his quatuor. 1. Ut nos & nostros honestè alamus, qua de re *Esa. 1. v. 5. Ephes. 4. v. 28.* 2. Ut aliquid conferamus ad conservationem Ecclesiæ, *1. Cor. 9. Rom. 15. v. 27.* 3. Ut Remp. pro more facultatum juvemus, de quo *Rom. 13. v. 7.* 4. Ut amicis pauperibus largiamur, de quo *Prov. 15. v. 16. Luc. 6. v. 38.*

## CXII. QUÆSTIO.

*Quid exigit nonum præceptum?*

Ne adversus quempiam dicam falsum testimonium *a*, nullius verba calumnier *b*, nulli obtrectem, aut convicium faciam *c*, neminem temere, vel indicta causa condemnem *d*: verùm omnis generis mendacia, fraudes, ut opera Diaboli propria *e*, nisi in me gravissimam iram Dei concitare velim, omni cura fugiam *f*: In judiciis cæterisque negotiis veritatem secter, & id quod res est, liberè & constanter profitear *g*: Adhæc famam aliorum & existimationem, quantum queam, defendam & augeam *h*.

*a Prov. 16. 5. 9. & 21. 28. b Psal. 15. 3. c Rom. 1. 18. 30. d Matth. 7. 1. Luc. 6. 37. e Joh. 8. 44. f Prov. 12. 22. & 13. 5. 1. Cor. 13. 6. g Ephes. 4. 25. 29. h 1. Pet. 4. 8.*



## E X P L I C A T I O.

Exponuntur hîc primùm peccata quæ nono præcepto vetantur. 2. Bona opera quæ imperantur. Peccata enumerantur quinque, videl: *falsum testimonium contra proximum, calumnia, obtrectatio, condemnatio injusta, & omnis generis mendacia.* Et simul indicantur duæ causæ impulsivæ, quæ à mendaciis nos debēt deterrere. Una sumpta est à causa procreante mendacii, quæ est Diabolus, *Job. 8.* altera ab effecto pernicioso, qui est ira Dei, ac proinde pœna. Bona opera indicantur duo: unum, *Dicere veritatem in omni sermone;* alterum, *Tueri famam proximi.* Cæterùm de mendaciis hîc quæri potest, an non sint concessa mendacia, quæ nominantur officiosa, cùm quis scil. mentitur: non ut noceat proximo, sed ut profit: Et sunt, qui hoc genus mendaciorum defendant exemplo obstetricum Ægyptiarum, quæ mentitæ fuerunt Regi de partu Israëliticarum mulierum, & additur Deum illis benefecisse, *Exod. 1. v. 19. & 20.* Resp. ad quæstionem propositam negando, & ratio est, quia non sunt facienda mala ut eveniant bona, *Rom. 3. v. 8.* Ad obstetrices illas quod attinet, committitur fallacia secundùm nō causam ut causam. Deus enim illis benefecit, non quòd essent mentitæ, sed quòd timentes Deum, in vita conservassent natos Israëlitidum. Exemplum falsorum testium proponitur *1. Reg. 21.* in Jezreëlitis civibus Nabothi. Item in adversariis Stephani, *Actor. 6, v. 11.* Exemplum



plum calumniae proponitur in Doëgo, *1. Sam. 31. v. 9. 10.* Item in falsis testibus qui surrexerant contra Christum, *Matth. 26. v. 61.* Exemplum obtrectationis proponitur in Ziba famulo Mephibuscheth filii Saulis, *2. Sam. 16. v. 3.* Exemplum injustae & temerariae condemnationis proponitur in Juda patriarcha, *Gen. 38. v. 24.*

Cæterum virtutes quæ hîc præcipiuntur, sunt istæ octo. 1. *Veracitas* φιλαλήθεια, sub qua continetur παρρησία. 2. *Candor.* 3. *Simplicitas.* 4. *Constantia.* 5. *Docilitas.* 6. *Taciturnitas.* 7. *Comitas.* 8. *Urbanitas.* Vitia autem cum his virtutibus pugnantia, sunt hæc: Cum veracitate pugnat in defectu *Mendacium, Negligentia in cognoscenda veritate, Ignorantia voluntaria juris, Vanitas seu levitas.* In excessu *intempestiva veritatis professio & curiositas.* Cum candore pugnant in defectu *calumnia & suspicacitas:* in excessu *stulta credulitas & adulatio.* Cum simplicitate pugnat in excessu *simulatio simplicitatis:* in defectu διπλότης, i. e. *duplicitas in moribus & sermone.* Cum constantia pugnat in defectu *inconstantia seu vanitas.* In excessu *pertinacia seu ἀυθαδεια.* Cum docilitate eadem. Cum taciturnitate pugnat in defectu *garrulitas seu loquacitas, futilitas & proditio.* In excessu *morositas & dissimulatio veritatis.* Cum comitate pugnat in defectu *morositas, in excessu assentatio & comitas simulata.* Cum urbanitate pugnat in excessu *scurrilitas, dicitas & obtrectatio:* in defectu *insulsitas & stoliditas.*



*Quid prohibet decimum præceptum?*

Ne vel minima cupiditate, aut cogitatione, adversus ullum Dei præceptum corda nostra unquam sollicitentur: sed ut perpetuò, & ex animo omne peccatum detestemur, contraque omni justitia delectemur *a.*

*a Rom. 7. 7.*

## E X P L I C A T I O .

Indicatur hîc sententia decimi præcepti ex qua intelligitur hoc præceptum superiorum veluti expositionem esse, quod nimirum non externæ solum actiones in illis intelligantur, sed etiam intimæ cordis concupiscentiæ seu cupiditates. Specialiter tamen septimum & octavum præceptum hîc declarantur. Nam concupiscentia uxoris alienæ pugnat cum præcepto septimo. Concupiscentia autem domus & cæterorum quæ enumerantur cum octavo. Unde apparet, membrum seu particulam illam de uxore *μεθ' ἑωυτῶν* præcedere, sicut fit *Deut. 5. vers. 30.* Porro hunc esse hujus præcepti respectum ad præcedentia, perspicitur ex interpretatione sexti & septimi præcepti allatâ à Christo *Mat-*

*thæi 4.*

*Pos-*



## CXIV. QUÆSTIO.

*Possuntne autem illi, qui ad Deum conversi sunt,  
hæc præcepta perfectè servare?*

Minimè: verùm etiam sanctissimi qui-  
que, quamdiu vivunt, habent tantùm exigua  
initia hujus obedientiæ *a*: sic tamen, ut serio  
ac non simulato studio, non secundùm ali-  
qua tantùm, sed secundùm omnia Dei præ-  
cepta, vivere incipiant *b*.

*a* 1. Job. 1. 8. Rom 7. 14. 15 Eccles. 7. 21. *b* Rom. 7. 22.  
Jac. 2. 10. Phil 3. 14.

## EXPLICATIO.

Quæritur hîc de præceptorum Decalogi quo-  
dam adjuncto adhærente, videlicet de observa-  
tionis eorum possibilitate; & negatur quenquam  
in hac vita illa observare posse perfectè. Interim  
tamen affirmatur regeneratos seu renatos iis sine  
exceptione observandis seriò studere.

## CXV. QUÆSTIO.

*Cur igitur vult Deus Legem suam adeò exactè &  
severè prædicari, cum nemo sit in hac vita,  
qui eam servare possit?*

Primùm, ut in omni vita, magis magisque  
agnoscamus *a*, quanta sit naturæ nostræ ad  
peccandum propensio, tantòque avidiùs re-



missionem peccatorum, & iustitiam in Christo expetamus *b*. Deinde ut hoc perpetuò agamus, illud semper meditemur, & gratiam Spiritus sancti à Patre imploremus, quo indies magis ac magis ad imaginem Dei renovemur, donec aliquando tandem, postquam ex hac vita decesserimus, propositam nobis perfectionem læti assequamur *c*.

*a* 1. Joh. 1. 9. Psal. 32. 5. *b* Rom. 7. 24. 25. *c* 1. Cor. 9. 24. Phil. 3. 11. 12. 13. 14.

## E X P L I C A T I O.

Objectio.

*Nemo legem in hac vitâ servare potest.*

*Ergò lex prædicatur frustra, & per consequens non est prædicanda.*

Negatur consequentia propositionis connexæ, & indicatur triplex usus legis in renatis. 1. plenior cognitio peccati. 2. plenius desiderium remissionis peccatorum. 3. studium perfectionis.

## D E P R E C A T I O N E.

## C X V I. Q U Æ S T I O.

*Quare Christianis necessaria est precatio?*

Quia præcipua pars est ejus, quam Deus à nobis postulat, gratitudinis *a*. Tam quia illis tantum



tantum suam gratiam & Spiritum sanctum  
Deus largitur, qui veris gemitibus, conti-  
nenter hæc ab eo petunt, & pro iis ipsi gratia s-  
agunt *b*.

*a* *Psal.* 50. 14. 15. *b* *Matth.* 7. 7. & 13. 12. *Luc.* 11. 9.  
13. *Matth.* 13. 12. *Psal.* 50. 15.

E X P L I C A T I O.

De precatione duo hinc traduntur. 1. eam perti-  
nere ad officium hominis Christiani. 2. eidem ad  
veram felicitatem seu salutem esse necessariam.  
Primum probatur testimonio, videl. iudicio sive  
sententia Dei, qui precationem à nobis postulat,  
tanquam gratitudinis sibi debitæ partem, *Psal.* 50.  
v. 14. 15. Secundum probatur à causa procreante,  
videl. Spiritu S. sine cuius operatione in nobis sa-  
lutem consequi non possumus. At Spiritum san-  
ctum Deus pater cælestis dare solet petentibus,  
*Luc.* 11. v. 13.

CXVII. QUÆSTIO.

*Quæ ad eam precationem requiruntur, quæ Deo  
placeat, quæq; ab ipso exaudiatur?*

Ut à solo vero Deo, qui se in verbo suo  
patefecit *a*, omnia quæ à se peti iussit, vero  
cordis affectu petamus *b*, ex intimo nostræ  
indigentia ac miseria sensu *c*, nos in con-



specū divinx Majestatis, supplices abjiciamus *d*, huic firmo fundamento innitamur *e*, nos à Deo, quanquam indignos, propter Christum tamen certò exaudiri *f*, quemadmodum nobis in suo verbo promisit *g*.

*a* Joh. 4. 22. *b* Rom. 8. 26. 1. Joh. 5. 24 Joh. 4. 23. 24. Psalm. 145. 18. *c* 2. Par. 20. 12. *d* Psalm. 2. 11. & 34. 19. Jes. 66. 2. *e* Roman. 10. 14. & 8. 15. Jac. 1. 6. *f* Joh. 14. 13. 14. 15. & 15. 16. & 16. 23. Dan. 9. 17. 18. *g* Matth. 7. 8. Psalm. 143. 1.

## E X P L I C A T I O.

Exponuntur hinc necessaria requisita precationis, & quasi leges seu conditiones in precando observandæ, unde legitima ejus forma existit. Ac primum indicatur subjectum recipiens ad se: deinde, subjectum occupans: postremò adjunctum adhaerens. *Subjectum recipiens precationis ad se est Deus.* Ad hunc enim solum precatio dirigenda est. *Matt. 4. v. 10. Subjectum occupans seu obiectum precationis sunt, omnia ea, quæ Deus à se peti jussit, de quibus in sequentibus. Adjunctum adhaerens est, verus cordis affectus Joh. 4. v. 24. Rom. 8. v. 26. Hebr. 10. v. 2.* Hic autem cordis affectus declaratur per duas species, quarum prior est *animi demissio*: quæ humilitas, & adoratio cordis dici solet: altera, *fiducia seu spes exauditionis*. Humilitas declaratur ex causa efficiente duplici, videlicet indigentia & majestatis



tis divinæ sensu, *Pf. 2. v. 12. Dan. 9. v. 4. Luc. 18. v. 13.*  
 Fiducia verò declaratur partim ex objecto, quod  
 est Christus, *Dan. 9. v. 17.* partim ex causa effi-  
 c. instrumentali, videl. promissione Dei, *Matth. 7. v. 8.*  
*Psal. 50. v. 15.*

CXVIII. QUÆSTIO.

*Quæ sunt ea, quæ à se peti jubet?*

Omnia tum animæ tum corpori neces-  
 saria a: quæ Dominus noster Jesus Chri-  
 stus ea precatione, quam nos ipse docuit,  
 complexus est.

a *Jac. 1. 17. Matth. 6. 33.*

EXPLICATIO.

Declaratur hîc secundum precationis requisi-  
 tum, videl. objectum, partim distributione, par-  
 tim indicatione specierum. Distributio est bi-  
 membris è subjectis recipientibus ad se. Nam bo-  
 na quæ à Deo petimus, alia sunt animi, alia corpo-  
 ris. Species autem illæ rerum petendarum conti-  
 nentur oratione Dominicâ.

CXIX. QUÆSTIO.

*Quæ est illa precatio?*

*Pater noster a, qui es in cælis: Sanctifi-  
 cetur nomen tuum: Veniat regnum tuum:  
 Fiat voluntas tua, quemadmodum in cæ-*



lo, sic etiam in terra: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris: Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria, in secula, Amen.

a Matth. 6. 9. Luc. 11. 33.

## E X P L I C A T I O.

Hæc precatio vocatur *Dominica*, quia Dominus noster Jesus Christus illius author est. Is enim eam discipulos suos docuit, *Matth. 6. v. 9. Luc. 11. v. 1 &c.* Potest autem distribui in quatuor partes: *Proœmium*, *Narrationem*, *Confirmationem* & *Conclusionem*. *Proœmium* continet *αὐτοφώνησιν*, i.e. appellationem ejus quem invocamus, comparatam tum ad humilitatem, tum ad fiduciam in nobis generandam. *Narratio* continet expiationem tentationum, quæ sunt numero sex. Nam quam nonnulli septimam faciunt, ea sexta pars est, & cum illius membro priore per antithesin cohæret. Sunt autem illæ petitiones ita inter se distinctæ, ut quatuor priores sint *quasi affirmantes*, quippe quibus petimus bona ad felicitatem nostram necessaria: eaque tum spiritualia, tribus petitionibus primis: tum corporalia, petitione quarta. Reliquæ verò duæ  
peti-



petitiones, sunt quasi *negantes*, quippe quibus deprecamur mala felicitati nostræ adversantia, nempe peccata: eaque tum præterita, i.e. quæ commisimus, ne illa nobis imputentur, petitione quinta: tum futura, quæ scilicet periculum est, ne admittamus, petitione ultima. *Confirmatio* continet petitionum rationem, cur ista petamus, & adepturos confidamus. *Conclusio* uno verbo constat, quo fidem exauditionis profiteamur.

## CXX. QUÆSTIO.

*Cur precipit Christus, ut ita Deum compellemus, Pater noster?*

Ut statim in ipso precationis exordio, convenientem Dei filiis reverentiam & fiduciam erga Deum in nobis excitet, quæ nostræ precationis fundamentum esse debet: nimirum, Deum propter Christum nobis Patrem factum esse, & quæ vera fide ab eo petimus, nobis multò minùs negare, quàm parentes nostri nobis bona terrena denegant <sup>a</sup>.

<sup>a</sup> *Matth. 7. 9. 10. 11. Luc. 11. 11. 12. 13.*

## EXPLICATIO.

Exponitur hîc causa *πρωσφωνήσεως* seu appellationis, quâ Deum in principio precandi appella-



mus, videlicet nomine patris. Cujus appellationis causa est, ut admoneamur de duobus animi affectibus, ad precandum necessariis, videlicet de *reverentia filiali*, & *fiducia filiali*. Nam si Deum agnoscimus nostrum patrem, consequens est, ut eum tanquam filii revereamur *Malach. 1. v. 6.* eidemque fidamus; Patri enim à filiis debetur honor, *Malach. 1. v. 6.* & natura duce, filius patri fidit, & optimam spem in eo repositam habet. Declaratur autem quâ ratione Deum appellemus nostrum patrem, videlicet ratione adoptionis, qua nos in filios adoptavit, in Christo filio unigenito, *Eph. 1. vers. 5.* Demonstratur etiam fiduciæ certitudo in comparatione minoris, in exemplo parentum terrenorum, seu corporalium. Nam si isti liberis suis bona dant, quæ petunt, multò magis pater cœlestis nobis petentibus bona daturus est. Ratio est quod terreni parentes sunt mali, Deus autem bonus, *Luc. 11. v. 13. Matth. 7. v. 11.*

## CXXI. Q U Æ S T I O.

*Cur additur, Qui es in cœlis?*

Ne de cœlesti majestate Dei humile quippiam aut terrenum cogitemus *a*: simul etiam, ut ab ejus omnipotentia, quæcunque animo & corpori sunt necessaria, expectemus *b*.

*a Jer. 23. 23. 34. Act. 17. 24. 25. 26. 27. b Rom. 10. 12.*

Alte



## EXPLICATIO.

Altera proœmii particula continet descriptionem Dei è subjecto, videlicet loco, ubi Deus habitat. Dicitur autem *Deus esse seu habitare in cœlo*, improprie loquendo, ut res corporea in loco est. Deus enim est spiritus; nec etiã ut angeli in certo loco sunt. Deus enim est ubique, & cœli cœlorum non capiunt eum, *1. Reg. 8. v. 27.* Sed in cœlo esse dicitur Deus, tanquam in sede sua regia per Metaphorã & per Synecdochen membri: quia in cœlo maximè se fruendum dat sanctis angelis & hominibus. Nam cœlum non est hîc intelligendum aspectabile cœlum, sed sedes beatorum, ubi Christus est, & S. angeli & animæ defunctorum. Neque enim hic aliud cœlum intelligendum est, quam paulò post in petitione tertia, ubi sedem beatorum intelligi planum est: quippe cùm ibi nobis obedientiæ exemplum proponatur in S. angelis, qui degunt in cœlo illo extra hunc mundum, supra omnes cœlos; nempe aspectabiles, quod Paulus tertium cœlum nominat *2. Cor. 12.* Conducit autem hæc mentio majestatis cœlestis, ad generandum in precantè, tum reverentiam tum fiduciam in potentia Dei.

## CXXII. QUÆSTIO.

*Quæ est prima petitio?*

*Sanctificetur nomen tuum: hoc est, Da prin-*

I



cipiò, ut te rectè agnoscamus *a*, & lucentem in omnibus operibus tuis omnipotentiam, sapientiam, bonitatem, justitiam, misericordiam & veritatem tuam veneremur, prædicemus & celebremus *b*: Deinde ut universam vitam nostram, cogitationes, sermones & actiones, eò semper dirigamus, ne sanctissimum nomen tuum propter nos contumelia afficiatur, sed honore potiùs & laudibus illustretur *c*.

*a* Johan. 17. 3 Jer. 9. 23. 24. & 31. 33. 34. Matth. 16. 17. Jac. 1. 5. Psalm. 119. 105. *b* Psalm. 119. 103. Luc. 1. 46. 68. Psalm. 145. 8. 9. 17. Exod. 34. 6. 7. Psalm. 143. 1. 2. 5. 10. 11. 2. Jer. 31. 3. & 32. 18. 19. 40. 41. & 33. 11. 20. Matth. 19. 17. Rom. 3. 4. & 11. 22. 33. 1. Tim. 2. 19. *c* Psal. 71. 8. & 115. 1.

## E X P L I C A T I O.

*Sanctificari* dicitur nomen Dei, cum sanctè usurpatur: id quod tertia Decalogi lege præcipitur. Nam nomen Dei cum per se sanctum sit, è non sancto sanctum fieri non potest. Ut autem nos Dei nomen sanctificare, id est, sanctè usurpare possimus, opus est, ut eum rectè agnoscamus. Agnoscitur autem Deus tum ex *verbo suo*, tum *operibus creationis*, in quibus plurimæ & maximæ ejus virtutes elucent, *Psalm. 19. Rom. 1. v. 20.* Verùm ad sanctificationem nominis Dei, non est satis, ut  
 nos



nos Deum agnitum glorificemus sanctis & cogitationibus & sermonibus: sed præterea etiam requiruntur sanctæ actiones, quæ occasionem aliis præbeant ad Deum glorificandum *Matth. 5. vers. 17. Rom. 2. vers. 24.*

## CXXIII. QUÆSTIO.

*Quæ est secunda petitio?*

*Veniat regnum tuum:* hoc est, regas nos ita verbo & Spiritu tuo, ut nos tibi magis magisque subjiciamus *a*: Conserva & auge Ecclesiam tuam *b*, destrue opera Diaboli, omnemque potentiam se adversus majestatem tuam efferentem: Irrita fac omnia consilia, quæ contra verbum tuum capiuntur *c*, quoad plenè tandem ac perfectè regnes *d*, cum eris omnia in omnibus *e*.

*a Matth. 6. 33. Psal. 119. 5. & 143. 10. b Psal. 51. 20. & 122. 6. c 1. Job. 3. 8. Rom. 16. 20. d Apoc. 22. 17. 20. Rom. 8. 22. 23. e 1. Cor. 15. 28.*

## E X P L I C A T I O.

*Regnum Dei*, cujus hîc fit mentio, exponitur hîc partim de regno gratiæ partim de regno gloriæ; & regnum gratiæ declaratur 1. ex causis efficientibus, una instrumentali, quæ est verbum Dei, altera principali, quæ est Spiritus S. Deinde è subjecto occupante, sive objecto, quod est Ecclesia, id est, multitudo Ele-



ctorum, nempe credentium. In his enim regendis Deus quasi occupatur, & exercetur. Tum exponuntur *contraria*, videlicet opera Diaboli, id est, consilia, studia & conatus, ad perniciem Ecclesie tendentes. *Regnum* verò *gloria* declaratur ex *adjunctâ perfectione*, quod regnum est vitæ cælestis securitæ, sicut regnum gratiæ est vitæ præsentis. Cæterùm, quia de regno gratiæ agit petitio sequens; ad evitandum tautologiã, rectius videtur hanc petitionem simpliciter accipere de regno gloriæ, ita ut hac petitione nihil aliud petamus, quàm ut suo tempore in regnum illud cœleste traducamur.

## CXXIV. Q U A E S T I O.

*Quæ est tertia petitio?*

*Fiat voluntas tua, quemadmodum in cœlo, sic etiam in terra: hoc est: Da, ut nos & omnes homines, voluntati propriæ renunciâtes a, tuæ voluntati, quæ sola est sancta, promptè & sine ullo murmure pareamus b: atque ita singuli mandatum nobis munus fideliter & alacriter exequamur c, quemadmodum faciunt Angeli in cœlo d.*

a *Matt. 16. 24. Tit. 2. 12.* b *Luc. 22. 42.* c *1. Cor. 7. 24.* d *Psal. 103. 20. 21.*

## E X P L I C A T I O.

Hæc petitio cum proximè præcedente coheret, ut effe-



ut effectum destinatum cum suo fine. Nam, ut in regnum illud Dei perveniamus, opus est, ut illuc eamus rectâ & legitimâ viâ. Hæc autem via est obedientia erga mandata Dei, cujus obedientiæ facultatem, ut nobis det Dominus per gratiâ Spiritus S. hac petitione petimus. Nam per *voluntatem Dei* intelligitur hîc, quicquid in lege sua Deus testatus est, se velle à nobis fieri. Illustratur autem & amplificatur hæc obedientia exemplo sanctorû angelorum, quorum obedientia passim in Scriptura celebratur, ut *Pf. 103. v. 20. 21.*, *Eph. 6. v. 2.*, *Dan. 7. v. 10.*, *Heb. 1. v. ult.* Ubi notandum, nō esse eundem sensum verborum hujus petitionis, & verborum illorum Christi inter orandū in horto dicentis: *Veruntamen nō mea voluntas, &c Luc. 22. v. 44.* Christus n. loquitur ibi de decreto Dei, quo decreverat illum tradere in mortem, propter electos redimendos, & significat se in illo decreto acquiescere. At nos hîc loquimur de mandatis Dei, quibus significavit, quid velit à nobis fieri, & petimus, ut det nobis facultatem obediendi. Interim verum est, hâc obedientiâ contineri quoque patientiam illam, quâ acquiescimus in decreto Dei, de nobis castigandis. At tamen testificatio illa Christi, & aliæ consimiles hominum sanctorum à petitione hac distinguendæ sunt, quippe quæ ad primam petitionem pertinent. Cæterum istiusmodi testificationis exempla passim occurrunt, ut in Jobo, *Job. 5. v. 21.* in Eli, *1. Sam. 3. v. 18.* Item in Davide, *2. Sam. 15. v. 25. 26.*



*Quæ est quarta petitio?*

*Panem nostrum quotidianum da nobis hodie:* hoc est, suppedita nobis omnia, quæ sunt ad hanc vitam necessaria *a*, ut per ea agnoscamus, te unicum fontem esse, ex quo omnia bona emanant *b*, ac nisi tu benedicas, omnem nostram curam & industriam, atque adeò tua ipsius dona, nobis infelicia & noxia esse *c*. Quapropter da, ut fiduciam nostram ab omnibus creaturis averfam, in te solo collocemus *d*.

*a* *Psal.* 104.22. & 145.15. *Matth.* 6.25. *b* *Act.* 14.17. & 17.27. *c* *1. Cor.* 15.38. *Deut.* 8.3. *Psal.* 27.16. 37. *d* *Psal.* 62.21. & 55.23.

## E X P L I C A T I O.

Superioribus petitionibus petivimus *bona* spiritualia, hac petitione petimus *corporalia*, id est, omnia ea quæ necessaria & commoda sunt ad vitæ hujus naturalis sustentationem atque conservationem, quamdiu, & quatenus Deo illam nobis conservare placuerit. Differt enim hæc petitio à cæteris in eo, quòd illæ sunt simplices, nec ullâ exceptione determinatæ: hæc autem tacitam exceptionem placiti divini annexam habet, ut scilicet eatenus nobis bona corporalia hujus vitæ det, quate-



quatenus ei placet, h. e. quatenus conducit tum ad ipsius gloriam, tum ad salutem nostram æternam. Quod considerans leprosus ille *Matt. 8.* exceptionem hanc rectè expressit, inquiens: *Domine si velis, potes me purgare.* Cæterùm bona corporalia omnia hîc per synecd. speciei notantur nomine *panis*, eò quòd panis præcipuè ad hominis corpus alendum vim habet. Jubemur autem petere *quotidianum panem*, i. e. tantum quantum quotidie ad vitam sustentandã sufficit, quia divitiæ periculosæ sunt, eò quòd homines eis ferè abutuntur, ut apparet in divite illo *Luc. 12. v 19.* Quòd etiam pertinet admonitio Christi, *Matth. 6. v ult.* Petimus autem non solùm ipsum panem aliasque res ad vitam sustentandam necessarias, sed etiam *benedictionem Dei*, tum in laboribus vocationis nostræ, ut honestè alimenta & alia necessaria possimus nobis comparare, ac imprimis ut Deus benedicat agriculturæ, dando bonas tempestates: tum in illis percipiendis ac fruendis, ut nimirum cibus & potus nobis evadant salubres, & ut illis frui possimus quietè & in pace.

## CXXVI. QUAESTIO.

*Quæ est quinta petitio?*

*Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris: hoc est, nobis miserimis peccatoribus, omnia peccata nostra,*



atque eam etiam pravitatem, quæ in nobis etiamnum hæret, propter Christi sanguinem ne imputes *a*: quemadmodum nos quoque hoc tuæ gratiæ testimonium in cordibus nostris sentimus, quòd firmiter nobis propositum habemus, omnibus, qui nos offenderunt, ex animo ignoscere *b*.

*a* *Psal.* 51. & 143. 2. *1. Joh.* 2. 1. 3. *b* *Matth.* 6. 14. 15.

## E X P L I C A T I O.

Haftenus fuerunt petitiones, quibus precamur bona, eaque tum spiritualia tum corporalia; sequentibus duabus *deprecamur mala*, & quidem mala culpæ, i. e. peccati, eaque tum *præterita*, tum *futura*. Hæc igitur petitione *deprecamur peccata præterita*, petentes, ut Deus nobis ignoscat peccata nostra, quibus eum offendimus, nec nos propter illa pro merito puniat. Intelliguntur autem hæc peccata vocabulo debitorum per Metaph. metonymicam, quia, ut mutuum debetur creditori, ita nos pœnas peccatorum debemus Deo, quem peccatis offendimus. Huic petitioni annexa est ratio à pari, videl. ab exemplo nostræ remissionis, quâ remittimus proximo, quæ ratio nititur & confirmatur testimonio divino promissionis Christi, quæ extat *Matth.* 6. v. 14. 15. Non quòd nostra remissio à Deo promereatur ut is nobis remittat: Remittit enim nobis peccata Deus solummodò pro-



propter effusum sanguinem Christi, in quem credimus: Sed quòd hæc sit voluntas Dei, ut & nos remittamus proximo, quòdque aliter remittere nobis nolit. Atque hanc vim habet conjunctio rationalis seu causalis apud *Lucam c.ii.v.4.*

CXXVII. Q U Æ S T I O.

*Quæ est sexta petitio?*

*Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo:* hoc est, quoniam ipsi naturâ adeò debiles & infirmi sumus, ut ne momento quidem subsistere possimus *a*; infensissimi autem hostes nostri, Satan *b*, mundus *c*, ac nostra ipsorum caro *d*, nos continenter oppugnant: tu nos sustentas, & Spiritus tui robore firmes, ne in hoc spirituali certamine succumbamus *e*, sed tantisper illis fortiter resistamus, donec integram tandem victoriam obtineamus *f*.

*a* 1. Joh. 15. 5. Psalm. 103. 14. *b* 1. Pet. 5. 8. Eph. 6. 12.  
*c* Joh. 15. 19. *d* Rom. 7. 23. Gal. 5. 17. *e* Matt. 26.  
 4. Marc. 13. 33. *f* 1. Thess. 3. 13. & 5. 23.

E X P L I C A T I O.

Hâc petitione deprecamur *mala futura*, i. e. peccata, quæ sumus admissuri, & per illa nos in exitium præcipitaturi, nisi Deus prohibuerit. Peti-



mus igitur ut Deus nobis victoriam largiatur, cum tentamur à Satana, sive is nos tentet immediate, quippe *qui circuit tanquam leo rugiens, quaerens quem devoret*, 1. Petr. 5. v. 8. sive instrumentis ad nos tentandum utatur, videlicet *mundo*, quem ad odium nostri & persecutionem instigare solet, teste Christo Job. 5. v. 19. aut etiam *nostrâ ipsorum carne*. 1. pravitate naturæ, quæ in nobis rebellat spiritui, i. e. novitati per Spiritum S. generate, teste Paulo Rom. 7. v. 23. Dicitur autem tentare nos Satanas, quando periculum facit, an possit nos ita ad peccandum allicere, ut à Deo avertat & sibi mancipet, atque ita in æternum exitium præcipitet. Cæterum in posteriore petitionis membro nomine *ἁπονηστῆς*, id est, *mali*, ipse Satan, intelligendus est; ut colligi potest, tum ex ipsâ vocis proprietate, tum ex antithesi, tum denique ex consuetudine scripturæ; hoc enim nomine diabolus appellari solet, ut Matth. 4. & c. 5. v. 27. Job. 17. vers. 15. 2. Thess. 3. v. 3. 1. Joh. 2. v. 13. 14. Item cap. 3. vers. 12. & cap. 5. v. 18.

## CXXVIII. Q U Æ S T I O.

*Quomodo concludis precationem tuam?*

*Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria, in secula: hoc est, omnia hæc à te petimus, quia cum & rex noster, & omnipotens sis, omnia nobis & vis & potes largiri a: Atque hæc quidem*



quidem ideo petimus, ut ex iis, non ad nos, sed ad sanctum nomen tuum omnis gloria redeat *b.*

*a Rom. 10. 11. 12. 2. Pet. 2. 9. b Joh. 14. 13. Psal. 115. 1. Jer. 33. 8. 9.*

## E X P L I C A T I O.

*Confirmatio* petitionum continet tria argumenta, quæ à causis procreantibus ducta sunt, videlicet voluntate & potentiâ Dei: quarum hæc exprimitur, illa significatur mentione tum regni tum gloriæ Dei. Deus enim vult nobis tanquam filiis suis dare regnum, & proinde etiam omnia illa, quæ ad id consequendum pertinent; idque propter gloriam suam, ut nimirum à nobis pro suâ immensâ bonitate in omnem æternitatem celebretur.

## CXXIX. QUÆSTIO.

*Quid sibi vult particula Amen?*

Rem certam ac ratam esse. Nam precatio mea multò certiùs à Deo est exaudita, quàm ego in corde meo sentio, me illud ex animo cupere *a.*

*a 2. Cor. 1. 20. 2. Tim. 2. 13.*

## E X P L I C A T I O.

*Conclusio* seu *peroratio* constat unicâ voculâ AMEN; quæ Hebraica est, & hoc loco est ap-



probantis sive exoptantis, continens affectum,  
quasi dicamus: *Ita esto, vel Ratum esto.* Simili sensu  
accipitur *Deut. 26. vers. 15. &c.* Aliàs est asse-  
verantis, ut in dictis Christi, A-  
M E N A M E N dico  
vobis.

F I N I S.

*Soli Deo laus & gloria.*





12  
11

















Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.



PLICATIO  
TECHE-  
S HEIDEL-  
ERGENSIS

*Authore*

NE PISCATORE,  
neologiae Professore.



BORNÆ, 1622.

